No: 63.

Y 2k

Pieniążek ~~1037~~
590/1

6 L

ORATIO SECULARIS, PRUSSIA SECULUM,

SUBLATA CRUCIFEROR. TYRANNIDE,

LIBERTATIS

SUB AUGUSTISS. POLON. REGIBUS

TERTIUM

ordiente,

DANTISCI

In Auditorio Athenæi Maximo,

A.C. clɔ Iɔc LIV. D. VI. MART.

habita

à

JOH. PETR. TITIO,

Human. & Eloqv. Professore.

TYPIS VIDUÆ GEORGII RHETII.

S. MAJEST. R.
BURGGRAFIO ILLUSTRI,
INCLYTI SENATUS
PRÆSIDI GRAVISSIMO,
PRÆCONSULIBUSQ;
ET
CONSULIBUS CETERIS
LAUDATISS. REIPUB.
GEDANENSIS,
VIRIS
MAGNIFICIS,
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
DOMINIS, PATRONIS ET EVERGETIS,
ÆTERNA ANIMI DEVOTISSIMI
OBSERVANTIA COLENDIS,
D. C. Q.

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, DOMINI, PATRONI ET EVERGETÆ,

æternâ animi devotisſimi obſervantiâ colendi,

IN SECULARIS HUJUS ORATIONIS fronte ſi aliud, quàm inclytum Veſtrum & eminentisſimum Nomen inſcribere voluisſem, rationem ejus rei haut paulò curatiùs reddendam à me fuisſe, facilè intelligo: quamvis, quo colore factum illud ornari vel in ſpeciem potuisſet, nullus equidem videre queo. Vobis autem, MAGNI PATRES, cùm eâ, quâ fas eſt, pietatis & cultûs ſignificatione, *dicare* illam, ex veteri formulâ, *& conſecrare* inſtituo, ludere operam videar; ſi cauſſas, quibus adductus id faciam, operoſiùs velim exponere. Lætitiæ quidem,& velut Triumphi hujus Secularis rationem ita fuiſſe comparatam, ut non unius Noſtræ URBIS limitibus circumſcribi poſſet,ſed ad PRUSSIAM pertineret univerſam, tàm iniqui aut invidi non ſumus, quin libentisſimè profiteamur. Et voce tum plauſuq; publico, non Nobis tantùm, ſed Civibus TERRARUM PRUSSIÆ Omnibus & Singulis, ſingularem hanc felicitatem, ſummo DEI Opt. Max. beneficio indultam clementisſimè, pro eo, uti par erat, gratulati ſumus. Verùm cùm in

Urbe

Urbe Vestrâ, & Athenæo, Vestrisq; auspiciis, Die tàm festo, sub exortum SECULI à Libertate recuperatâ TERTII, exoptatissimi celebraturus memoriam temporis, prodierim ad dicendum: Orationem hanc, pietatis Vestræ, & gaudii publici indicem, Vobis unicè deberi, omnes, uti confido, juxta mecum agnoscent. Accesserunt deinde summa eximiæ à Vobis benevolentiæ pignora. quæ utinam, sicuti gratissimo pectore æstimo, semperq; æstimaturus sum: ita meritis extollere elogiis vel mea in dicēdo possēt infantia, vel eadem illa Vestra Virtus pateretur, quæ & inter alias infinitas maximam Vobis Liberalitatis ac Munificentiæ laudem ubiq; conciliat; & præconia publica, quantumvis meritissima, incredibili animi magnitudine seriò abnuit & recusat. Illud autem boná Vestrâ, DOMINI MEI HONORATISSIMI, gratiâ pronuntiare mihi, spero, fas erit, etsi præclara illa tam propensi in tenuitatem meam affectûs testimonia eo, sicuti me decet, loco habeo, ut gratias, quas debeo, nullas me agere unquam posse intelligam: tamē hoc inprimis jucundum mihi esse, quòd obsequium meum & operam qualemcunq; NOBILISS. V. V. MAGNIF.tiis non omninò displicuisse, haud obscuris indiciis perspicere mihi licuit. Atq; eadem potissimum ratio porrò me impulit, ut missis, qui sollicitum me aliquandiu habuerant, scrupulis, de re totâ confidentiùs statuere auderem. Cogitare enim

mecum cœperam, annon consultius futurum esset, ea, quæ tum exiguo sanè admodum temporis spatio affecta veriùs, quàm confecta attuleram in medium, ita incudi reddere, ut non tantùm aliquantò, si possent, nitidiora; verùm etiam paulò magis diffusa, in publicam lucem venirent. Movebant non ignota magnorum Virorum exempla. qui Sermones Panegyricos, vel Orationes alias graviores, quibus tornandis ornandisq; non satis concessum fuisse temporis existimabant, multò deinde aliâ, quàm vel scripserant initio, vel recitaverant, curâ & pompâ emiserunt. Quanquam autem, si eodem ipse quoq; Cogitationum posteriorum beneficio uterer, nihil me peccaturum videbam: rectiùs tamen me tandem atq; excusatiùs facturum arbitrabar, si illo potissimum, quo habita est, modo, SECULAREM hanc nostram emitterem. Apud Vos sanè, MÆCENATES AC PATRONI MAGNIFICI, vel illo primùm nomine veniam ingenuæ meæ fiduciæ paratiorem fore credebam, si fœtum, non velut ὑποβολιμαῖον seu suppositicium aliquem; sed illum ipsum, quem tùm, ubi hanc lucem adspicere cœpit, faventes cognovistis, manibus nunc propitiis suscipiendum offerrem. Quòd si alia omnia, quàm quæ in Panegyri nostrâ excepta sunt auribus, chartis nunc commissa in vulgare, oculisq; subjicere vel-

lem

lem legentium, intelligere mihi videor, quibus me implicarem angustiis, qui illam etiam spem, quæ jam non mediocriter erigit animum, ipse meâ mihi imprudentiâ præcisurus essem. Ferè enim ad severiorem lancem examinari illa solent, à quibus perpoliendis manum antè Autor non removit, quàm nullas ampliùs curæ atq; industriæ suæ partes relictas esse existimaret. Quæ nisi modis deinde omnibus exspectationi ac palato satisfaciant, desiderare ingenium scribentis & facultatem incipimus. Ego verò si ullâ me ratione id consequi posse sperassem, ut Argumento tam nobili splendor etiam Verborum atque Orationis dignitas responderet, nimis profectò transilirem modestiæ limites, & de me multò indulgentiùs, quàm & debeo, & soleo, judicarem. qui ambitiosum illud Oratoris nomen, quod doctissimi etiam, eloquentissimiq; viri arrogare sibi velle, religioni ducunt, absit ut affectare unquam ausim. Cùm autem illa, quæ ex necessitudine Muneris, studio tantùm non extemporali collecta, in medium attuli, non ostentationis, sed memoriæ caussâ, literis committo, futurum spero, ut favorem, vel veniam promtiorem festinatio ipsa conatui meo conciliet. Neque verò illud planè interim negavero, accessisse per otium alicubi limam, & mutata nonnulla, ubi visum; demtum etiam esse interdum verbulum,

vel adjectum. Et fuiſſe, quæ vel addi, vel multò copioſiùs exponi poterant, longè etiam plura, non invitus largior. Nam vel ſexcenta, quibus immorari licebat, penè tranſiiſſe, aut perquàm breviter perſtrinxiſſe me ſcio; & verbis ſæpenumero paucisſimis res plurimas, maximiq; momenti complexum eſſe, quæ in complures facilè paginas, ſi id mihi negotii datum putaſſem, diduci potuiſſent. Sed cogitandum mihi eſſe arbitrabar, non Hiſtoriam me ſcribere, nec Boruſſæ Gentis, nec inclytæ hujus Urbis: ſed memoriam celebrare exciſæ tàm inviſæ TYRANNIDIS; & reſtitutæ, cujus vel nomen eſt dulcisſimum, LIBERTATIS. Quamobrem cùm non Librum, ſed Orationem componere me intelligerem, premere veſtigia malui præclarisſimorum Virorum, qui de rebus maximis verba facere aggresſi, brevitatis quoq; gratiam quærere, quàm ſermone prolixiori faſtidio ſuis vel Auditoribus, vel Lectoribus eſſe voluerunt. Etſi fortasſis non tàm ne breviùs dixerim, quàm par erat, quàm ne juſto etiam longior fuiſſe videar, verendum erit: inprimis, cùm non ſimplicis erroris ſe alliget, qui ſermone & longo, & parùm culto onerat prudentes atque eruditas aures. Verùm animabat dicentem perſpecta dudum amplisſimi gravisſimiq; Auditorii benevolentia: cui dum promtisſimam addictæ

men-

mentis voluntatem, debitumque obſequendi ſtudium pro virili approbarem, ſatis habebam. Tùm de argumento tam uberi ac fœcundo, *Oratione ſolenni*, eâq; *Seculari*, quî diſſerere poſſem ſtrictiùs, non reperiebam. Quòd ſi *Romani* olim, poſt *Tarquinios* ex Urbe pulſos, Annis ſingulis, *VI. Calend. Mart. diem*, REGIFUGII nomine, alii aliis gratulantes, feſtum ac lætum habuere: *Nobis*, poſtquam immani *Cruciferorum* jugo liberati ſumus, non Anno, ſed Seculis Duobus elapſis, *VI. Mart. die*, ad TYRANNIFUGII memoriam celebrandam, horulâ unâ alterâve vacare, quis adeò moleſtum eſſe potuiſſe cenſeat? Cæterùm de Re ipsâ non poſſum non iterum iterumq; ingenuè id fateri, difficilem admodum pasſim mihi viſam, illud ſubinde æſtimanti, quàm ſit pronum in his talibus, vel impingere, vel labi. Inprimis autem illud incumbere mihi ſentiebam, ut, quoad ejus fieri poſſet, etiam atque etiam caverem, ne qua ex his, quæ in Seculari hoc noſtro gaudio, ſolenniq; PRUSSIÆ noſtræ, ut ita appellem, JUBILÆO, â me repetenda erant, naſceretur invidis & malevolis occaſio jure nobis obtrectandi. Quare in his maximè, quæ ad momenta publica pertinere videbantur, eam adhibere cautionem ac proviſionem volui, ut non tantùm rem omnem ex incorruptâ Annalium fide peterem; ſed verba plerumq; ipſa ex

PRIVILEGIIS, Ordinibus Terrarum Prussiæ concessis, aliisq; publicis MONUMENTIS, quibus Libertati nostræ atque Incolumitati consultum prospectumq; est, mutuarer. Multa item, quamvis occasione usus excurrere subinde, inque rebus, quas Majores summâ fortitudine & constantiâ gessere, paulò diligentiùs ornandis ac prædicandis plus operæ ponere potuissem, consultò vel omisi, vel parciùs attigi. inprimis cùm Vestram, PATRES NOBILISSIMI, virtutem, animiq; magnitudinem non ignorarem, qui vocem hanc atq; ἀκρόαμα minimè desideratis. Interea futurum confido, ut in his etiam paucis admodum pagellis, illustria Majorum decora & ornamenta, non PRUSSIA tantùm, sed GEDANUM etiam nostra agnoscat, & agnoscens, ut solet esse præteritorum certaminum ac laborum jucundissima recordatio, voluptate quadam & gaudio non mediocri se perfundi sentiat. Supersunt enim hodiernâ etiam die *ex Familiis* laudatissimis, quarum hîc à nobis etsi Nomina non exprimuntur, Virtutes tamen incomparabiles, & pro Libertate ac Salute Suâ, Sociorumq; & Civium, pericula atq; agones strenui commemorantur: supersunt, inquam, ex illis, divino beneficio (& supersint in plura, si plura erunt, secula!) non degeneres *Posteri*, & *Germina* multa præclara. Supersunt adhuc & florent ex stirpe & sanguine prognati

gnati Illorum, qui fortissimis de exstirpandâ tyrannide, & patriâ asserendâ consiliis interfuere: qui prudentiâ, fide, facundiâ, industriâ suâ divinissimum Opus, nullâ tantæ rei difficultate, nullo discrimine territi, promovere: qui his, quæ magno & consilio, & animo deliberata ac statuta erant, manu subscripsere, ceras ac signa sua impressere: qui dexteritatem summam & solertiam in Legationibus gravissimis probavere: qui salute publicâ nihil sibi esse antiquius, tàm multis, tamq; illustribus argumentis ostendére: qui non opes modò suas ac fortunas omnes, verùm etiam sanguinem ac vitam amittere; quàm Lupos rapacissimos, auspiciis tàm secundis semel exturbatos, ad lustra pristina admittere maluere: qui fortissimorum Civium copias in hostem ferocissimum ducentes, cum illo non sub mœnibus semper, aut in agris suis, sed sæpenumero vel ad enervandas hostium vires, vel ad opem sociis ferendam, longiùs etiam progressi, terrestribus navalibusque prœliis conflixerunt, & vel occumbentes morte pulcherrimâ, vel gloriosè vincentes, patriam conservarunt. Quorum florentissima Posteritas immortales Majorum Suorum laudes, quas non minùs, quàm illam Nominis Sanguinisq; hæreditatem, ad sese etiam pertinere intelligit, facilè agnoscet, illarumque velut in tabellâ exiguâ percurrens imaginem, honestis-

ſimâ ſeſe voluptate oblectabit. Neq; fieri poterit, quin Lectores etiam alii, ſi qui fortè in hæc noſtra inciderint, quo ſolent boni Viri in virtutibus æſtimandis candore eſſe, Urbi quoq; huic laudatisſimæ cùm de priſcis illis Libertatis Vindicibus, qui per gloriam ſuam & ſanguinem adhuc vivunt; tùm de His, qui præclaro Autorum Generis ſui exemplo, ne Illorum magis laude fulgeant, quàm Suâ, nunc quoq; de Patriæ commodis atque incrementis pulcherrimè promereri pergunt, ſummopere gratulentur. Mihi quidem, etſi non accepi Dantiſcum patriam, ſed elegi, incredibili eam cogitationem voluptati fuiſſe, verè affirmare posſum. Præcipuè ſanè illud non ſine tacito quodam lætitiæ ſenſu obſervare mihi videbar, Urbem hanc, licet illa rebus ſemper omnibus, quæ vel utilitatem, vel laudem afferunt, affluentisſima fuerit, inprimis tamen VIRTUTIBUS ac VIRIS floruiſſe. Habet illa, quod nec invidia negaverit, benignisſimo Numinis indultu, ornamenta & multa, & magna. Sive enim ambitum ejus & magnitudinem, ſive frequentiam incolarum ſpectemus, multis ſanè nobilisſimis Urbibus non inferior habenda erit; plures verò non incelebres multis etiam poſt ſe paraſangis relinquet. Jam de agris pinguisſimis; de fluminibus, mari, portu; de fortisſimo ad Oſtium Viſtulæ, in Sinum ſe Coda-

num

num hic immergentis, propugnaculo, quid dicam? Quid de Ædibus ſacris, & domibus Civium, de turribus, armamentariis, vallis? quid de Operibus aliis dicam, quæ vel juvant urbem ac muniunt, vel ornant? Mitto illa: quæ cùm laudamus, lapidum ferè laudamus, aut lignorum ſtruem. Ad majora pergo; ſed quæ nunc quidem paucisſimis tangam. Cruciferis ejectis, ſui juris ac libera ſemper fuit, exoptatisſimo duntaxat SERENISSIMORUM POLONIÆ REGUM imperio ſubjectam ſe atq; obnoxiam profeſſa. Qui fide ejus, & humillimâ in Sanctisſimam Suam MAJESTATEM obſervantiâ & devotione conſpectâ, Amore eam ſemper & Clementiâ ſingulari protegentes, non illa tantùm Privilegia, quibus jam ſuperioribus ſeculis, Majorum virtute partis, gaviſa fuerat, ſarta ei tecta atq; integra præſtiterunt; ſed indultis etiam aliis eandem benignisſimè auctam, ornatamq; voluerunt. Inter *Urbes Anſeaticas* (id quod in ejus laudibus non poſtremo loco cenſendum venit) Circuli ſui caput & princeps, Urbibus Prusſiæ ac Livoniæ, quæ celeberrimo illo Fœdere tenentur, omnibus, ea quæ opus videntur, denuntiandi, illasq;, cum res poſtulat, convocandi munere fungens, in Comitiis loco honeſtisſimo ſuffragii ferendi jus habet. Quæ omnia VIRTUTE ſuâ illam adeptam

esſe, quis tàm vecors eſt, quin intelligat; aut tàm malevolus, ut inficiari velit? Illâ enim & Pacis, & Belli temporibus conſpicua, ad ea, DEI munere, pervénit fortunæ ſuæ incrementa. Nam etſi oleâ, quàm palmâ illuſtrior, Mercurio magis, quàm Marti litare ſemper viſa eſt: tamen nec in hujus caſtris, cùm eò deveniendum fuit, indecorè aut inauſpicatò pedem poſuit. Non utar teſtimoniis, quibus posſem, magnorum autorum: quamvis ab illis, quippe externis, potentiam Gedanenſium & virtutem bellicam tantopere deprædicantibus, gratiæ aliquid datum esſe, nemo ſuſpicari queat. Factis id Noſtrorum oſtendere, ſatius exiſtimo, quàm verbis aliorum. Neq; hîc commemoro pluribus, quæ vel duodecennali bello, quo Libertas noſtra & Salus adverſus Erlichhuſium, Fratrum Teutonicorum, quos à jugulis noſtris repuleramus, Magiſtrum & Ducem, armis vindicata atq; asſerta eſt; vel altero, quo breviori quidem tempore ad pacem perpetuam compulſus Albertus; vel aliàs etiam, cùm tulit occaſio, ſtrenuè fortiterq; geſta ſunt. Illud unum dico; quotiescunque manus cum hoſte conſerendæ fuerunt, vel caſtellum aut oppidum hoſtile à nobis obſidendum aut oppugnandum, vel præſidio tenendus ac tuendus aliquis locus: copiis noſtris vix alios datos fuisſe, quàm

è gra-

è gravissimo PATRUM ordine, Præfectos ac Ductores. Qui eâ semper prudentiâ, eâ virtute & fide omnia administrârunt, ut ejus rei Civitatem nunquam pœniteret. Neq; tùm Viri tantùm fuimus, cùm invisi Cruciferorum nominis odium virtutem nostram accendit. Essent alia, quæ produci possent, si id ageremus. Prætereo latrones & piratas famosissimos, manu nostrâ oppressos. Cum hostibus etiam præpotentibus terrâ mariq;, nec invito Marte congredi ausi, non nostra tantùm tueri, sed aliorum etiam, & magnorum adeò Principum, jura defendere, ac pro illis propugnare, pulchrum duximus. Quæ gloriosiùs jactari, quàm veriùs, nemo nos arguet, cui res illorum temporum inspectæ sunt. Celebrari inprimis in Historicorum viretis, campisque Rhetorum solet, si vel singuli, vel pauci memorabile inusitatæ virtutis specimen ediderunt. Unde illa de Mucio, Cassio Scævâ, C. Acilio Romanis, de Cynægiro Atheniensi, de Spartano Leonidâ, tantis Scriptorum laudibus ac præconiis decantata. At nec nobis desunt, quæ juxta stupenda illa veterum, admirationem mereantur, exempla. Cùm Hussitarum, quos vocant, è Bohemiâ viginti millium exercitus, occupatis, qui Urbi imminent, montibus, in jugulo jam nostro hærere videretur, adeò illorum

nec ferocia, nec multitudo Noſtris formidoloſa fuit, ut cohiberi vix potuerit penè nimius in hoſtem eundi Civium ardor. Ex quibus nihilominus *octo* non amplius, nocturno tempore cum armis, quibus opus, egresſi, jacto ad radices montis aggere, quo tegerentur, toto deinde die inauditâ audaciâ tàm vehementem plumbi misſilis grandinem è tubis ignivomis in hoſtem jaculati ſunt, ut non minùs ducentis, nec iis omnibus gregariis, interfectis, ſtragem inſignem ediderint. Qui vincendo tandem fatigati, cùm hoſtiles etiam copias, tàm parva caſtra, quæ tantillâ manu defendebantur, facilè capi poſſe ſperantes, ſtrenuè repulisſent, veſperaſcente jam cœlo Urbem repetituri, circumventi inſidiis, morte memorabili cecidere. En viros, illis ſanè, qui & Thermopylis olim, & Sibi tàm nobile nomen pepererunt, animo non inferiores! Quamvis autem nec ſago contemnendam fuisſe hanc Urbem, ſatis jam liqueat: togatis tamen artibus multò magis eam ſemper claruisſe, tantò libentiùs fatemur, quantò hæ citra dubium præſtantiores ſunt, quippe quarum illæ ſecuritati ancillari debent. Non hîc, ſicuti de bellicis Majorum laudibus tanquam brevi Indice nonnulla attigi; ita, quàm egregii etiam ac laudabiles in pace iidem & otio fuerint, percurram. Nihil de

pieta-

pietate illorum & innocentiâ, nihil de amore & cultu optimarum artium ac ſtudiorum adferam. Non commemorabo Viros, quos iſtæ potisſimum virtutes tùm ad alias ſummas dignitates, tùm ad Epiſcopalis etiam infulæ faſtigium illis temporibus evexerunt. Omitto Magiſtratuum juſtitiam, prudentiam & ſanctitatem; Civium integritatem, diligentiam, fidem; Ordinum deniq; Ætatumq; omnium bonæ mentis ſtudium & veritatis. Quòd ſi quis ad eos porrò, qui vel illorum, quos laudavimus, ſtirpe ac ſanguine progeniti; vel iisdem in Repub. quibus illi olim, partibus honoribusq; nunc funguntur; vel ejusdem, quam ſuis illi virtutibus decorarunt, Urbis ac Patriæ cives ſe esſe gloriantur, oculos ſuos convertit: honeſtisſimâ omnes æmulatione contendere videbit, ne à pulcherrimis Majorum veſtigiis hodiernâ etiam die ullâ in parte recedere videantur. Quæ fuſiùs perſequi, in promptu esſet, niſi Veſtra, PATRES MAGNIFICI, autoritas dudum mihi dicendi finem imperaret. Quare unum illud addam, quod addere me, DOMINI ætatem colendi, benevolentisſimè patiemini: cùm ſit omni laudum genere Veſtra hæc Urbs multò cumulatisſima, nullam esſe illuſtriorem ſingulari illâ CONTINENTIÆ et SOBRIETA-

TIS. Cur prædicare dubitem, quod admirantur omnes? Non privatim tantùm plerisq; Civium ſumma quotidiè *Frugalitatis* cura eſt; ſed in tàm liberali Epularum ſive Nuptialium, ſive aliarum quarumvis apparatu, ea Omnium ſolet esſe *Moderatio*, ut non Συμπόσια, ſed verè CONVIVIA appellari illa posſint: ubi appotum videre, nedum *ebriosâ acinâ ebrioſiorem*, cumprimis ex honeſtioribus aliquem, tàm inſolens, ut portenti penè ſimile videri queat. Rarisſimum decus, in Urbe certè, quæ *ejus Gentis* moribus cenſetur, quam *adverſus ſitim, cui tolerandæ minimè adſueverint, non eâdem, quâ in expellendâ fame, temperantiâ esſe*, Romanus Hiſtoricus, in elegantisſimo de Moribus illius, cætera laudatisſimis, Commentario, ante ſecula bene multa jam notavit. Quis *Virtutes Omnes* domicilium hic & ſedem habere neget, ubi ſedem ita fixit SOBRIETAS, aurea illa SOBRIETAS, ac verè divina, quam Pythagoras, quid Pythagoras? quam nemo non Sapientûm Genitricem dixit & Alumnam *Omnium Virtutum*?

Deſino: et DEUM OPT. MAX. ut auctam porrò DANTISCUM VIRIS VIRTUTIBUSQVE perennare, eandemq; Veſtris etiam, VIRI *MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI*, VIRTUTI-

TUTIBUS diutisſimè gaudere velit, omni animi mente precor.

Valete, DOMINI AC PATRONI MAGNI, conatumq; hunc exiguum, obſequii & pietatis debitæ tesſeram, æqui boni, quod facere propenſè cœpiſtis, conſulite, tùm ſtudia etiam noſtra, Gymnaſio Veſtro, utinam cum emolumento ſemper florentisſimæ Juventutis! conſecrata, exoptatisſimâ favoris ac benevolentiæ Veſtræ aurâ benignisſimè porrò promovete. Quod etiam atq; etiam opto, & eâ, quâ par eſt, obſervantiâ oro

MAGNIF. NOBILISS. AMPLISSQ.
VESTR. NOMINUM

Cultor devotisſimus

JOH. PETR. TITIUS.

PANEGYRIN SECULAREM

celebrabat

RESPUBLICA GEDANENSIS,

PRÆCONSULIBUS

HENRICO Freder/
h. t. S. R. MAJEST. BURGGRAFIO,

ADRIANO von der Linde/
h. t. SENATUS PRÆSIDE,

FRIDERICO Eler/
h. t. PROPRÆSIDE,

CONSTANTINO Ferber/
PROTOSCHOLARCHA,

CON-

CONSULIBUS

GABRIELE Schumann/
SCHOLARCHA,

NATHANAELE Schmieden/
S. R. MAJEST. Supremo Venat. per Inſ. Nering.
PRÆFECTO, & SCHOLARCHA,

CONSTANTINO Brand/

ÆRARII PROVISORIBUS,

CLEMENTE Cöllmer/

NICOLAO von Bodeck/

JACOBO Stüben/

ADRIANO Engelke/
SCHOLARCHA,

JOHANNE Wahl/

GEORGIO von Bömell/

ALBERTO Rosenberg/

ARNOLDO Reyger/
h. t. JUDICE,

DANIELE Schepeke/

JOHANNE Schultzen/

JOACHIMO Schrader/

F JOHAN-

JOHANNE HECKER/

JOHANNE HEWELCKE/

CHRISTIANO SCHWEJCKART/

DANIELE GLÄSER/

GREGORIO KAMERMANN/

VINCENTIO FABRICIO,
J. U. L. SYNDICO;

SCABINIS,
CIVITATIS PRIMARIÆ,

JOHANNE FERBER/

BENJAMINE ENGELKE/

REINHOLDO CÖLLMER/

DANIELE HEJNE/

HENRICO SCHUMANN/

CONSTANTINO GJESE/

DANIELE SCHLJEFF/

VALENTINO VON DER LJNDE/

GABRI-

GABRIELE KRUMHAUSEN/
VALENTINO VON BODECK/
GABRIELE BORCKMANN/
GERHARDO BARTSCH/

VETERIS;

GEORGIO LILIENTHALL/
NATHANAELE BERENT/
MATTHÆO LÜTKE/
ARNOLDO VON GENTEN/
ERNESTO LINDAU/
NICOLAO WEBER/
DAVIDE KOHL/
MARTINO ZWECH/
GEORGIO REHMES/
JOHANNE FISCHER/
FRIDERICO KÜHN/
JOHANNE HECKER.

IN
SOLENNIA
SECULARIA,

ob recuperatam à Crucigerorum tyrannide LIBERTATEM,

Gedani, Anno 1654, die 6 Martii celebrata.

PReſſa ſub inviſis, ſed nunquam evicta, tyrannis
Pruſſia, fatalem ſenſit adeſſe diem,
Qua ſibi, propitiis Superis, & Rege Polono
Vindice, libertas reddita priſca fuit;
Protenus optatæ renovavit gaudia lucis,
Auſpicium Secli, poſt duo Secla, novi.
Præ reliquis, Dantiscum, operis pars inclita tanti,
Attollit plauſus, & pia ſacra facit.
Illa ſuas impendit opes, vitamq; ſuorum,
Marte ſub ancipiti dum bona cauſa ſtetit.
Nec locus invidiæ eſt, ſi Libertatis adeptæ
Illa ſuam partem convenienter habet.
Siq; fide invicta Majorum, ac ſanguine partas
Et fruitur juſte, & rite tuetur opes.
Scilicet his opibus Regum Clementia favit,
Præcipuumq; decus, præſidiumq; fuit.

Sed

Sed quoq; de Gedano Respublica tota fatetur,
Subsidium rebus sæpe fuisse suis.
Dent Tibi perpetuos Superi, CASIMIRE, trium-
Et redeat pulsis hostibus alma quies; (phos,
Florebit Gedanum felix, ut floruit olim,
Splendidaq; auspiciis crescet, ut ante, Tuis.
Sic, quod nunc saltem centenis exhibet annis,
Perpetuum Sacrum destinat illa Tibi.

Vincentius Fabricius.

In eadem Solennia
SECULARIA.

ANni feruntur perpetim volubili
Rotâ, nec ulla temporum lapsum potest
Quies morari, visq; nulla sistere.
Tempus seqvuntur publicarum cardines
Rerum, seqvuntur Sceptra Regum, & Purpuræ,
Virgæq; Prætorum, Togæq; Consulum.
Nam mutat ista multiformiter dies,
Rerum perennis circulator omnium.
Sic vertit olim Prussici fasces soli,
Quando Magistros, pessimas populi Cruces,
Excussit universa, facto fœdere,
Provincia, & pertæsa servilis jugi,
Se CASIMIRO, sceptra qui Poloniæ
Quondam benignâ præpotens rexit manu,
Submisit ultrò, ut Vindici & Regi suo.

Hanc non tacendam Prussiæ altricis vicem
Tu clare TITI, ocelle Pimplei gregis,
Suadæ medulla, dulce Phœbi Corculum,
Perelegante Orationis copiâ,
Linguâq; tersâ, & delibutâ floribus,
Quos crederet, vel esse vellet Tullius
Suos, theatro edissercbas publico,
Patrum favente & Civium panegyri.
Nunc universo Literatorum choro,
Quacunq; vasto degit orbe dissitus,
Laborem eundem perpolitum subjicis,
Latéq; Seculare *spargis gaudium.*
Quid livor æger, stultave ignorantia
Sit mussitatura, haud, puto, moraberis.
Quotquot periti, candidiq; viderint,
Sic judicabunt; Ista Seculis *solent*
Non omnibus nasci, perennant omnibus.

Cognato suavissimo
lub. mer.
scribebat
JOACHIMUS PASTORIUS D.
Medic. & Historicus Regius,
& Gymn. Ged. Prof. Honorarius.

DE IISDEM SECULARIBUS PRUSSIAE.

PRUSSIA læta soli, pontiq; benigna, Poloni
Inclita pars Regni PRUSSIA, chara Parens.
Adstupeamne magis tua scæva, an sæva? secundis
Major an adversis, PATRIA, fare, cluis?
Infandis oppressa malis infanda tulisti:
Altius adscendit Terra nec ulla tuâ.

Cim-

Cimmerias nemo tenebras ſibi fingat, amabò:
Nemo fidem noſtris abnuat, oro, metris.
Hæc quoq; majores quondam perpeſſa. reluxit
Serior his oris aura ſerena DEI.
Permanet incertus. ſed barbarus incola certè:
Barbarus his primus ſæviit acer agris.
Incubuitq; diu. Nam ſive Britannidis æquor
Scandiadum infudit terga proterva plagæ.
Vel quibus eſt Tanais bibitus, ſeu Tibridis unda:
Ut tua Romovæ nomina, Roma, ſient.
Aut Ryphæarum nivium, ſterilisq; colonus
Neſcio quis, glebæ, litus araſſe ſatur.
Indeq; noſtrates migratio facta per oras:
Seu fuerint alii, barbara turba fuit.
Et quibus hæc, ſodes, gentilia pectora monſtris,
Gentili & quanto tempore preſſa jugo!
Non BIOTERUS erat februandis moribus aptus:
Non erat Augiæ claviger iſte vadis.
Lampada porrexit. ſuaſit meliora: ſed illis
Nondum erat ad lucem lumina ferre datum.
Auroræ tamen heic faculas agnoſco. præivit
Faſcibus, & prior hanc rexit Alanus humum.
Sed brevis ille ævi. Suboles antiquat avita:
Et ruit ad priſcum Pruſſia noſtra chaos.
Barbaries rediviva redit. bacchatur in omneis:
Et gravis eſt populis & gravis ipſa ſibi.
ENSIFERI quorſum FRATRES, CUNRADE, vocantur?
DÖBRINIDUM non eſt, BRUNO, domare nefas.
Teutonicos poſcis, veniuntq;. Paciſceris. inſtant:
Culmigeram pacti Loboviamq; ſibi.
Heic tu quàm crudo rurſus mihi, PRUSSIA, Marte
Jactaris! quanto ſanguine, chara, rubes!

Bella DECEM, & ſupra, flagrant acerrima LU-
STRIS:
Quam Marianorum es tota ſecuta fidem.
Hinc Aurora redux Terris. hinc gratia cœli
Emicat, hinc Pruſſum mitia fata manent.
Mitia fata quidem: ſed non longæva. reſultant
Mitia quæ perimunt tempora, plauſtra mali.
AUSA igitur diri *VIOLENTA CRUENTA NEFANDA*
Ordinis ulturus DENIQUE Fœdus init.
Nec Tu Sceptrigero, CASIMIRE, ſub Alite tegmen
Ad Tua qui ſupplex venerat Ora, negas.
Suſcipis ut prolem Genitor. gaudemus! ovamus!
Auſpiciis cecidit perfidus Ordo Tuis.
State triumphales circum Monumenta PAREN-
Laurus. Æternum eſt Principis iſtud opus. (TIS
En! LIBERTATI duo condita ſecula: jamq;
TERTIA (quod felix!) SECULA ſalva ſubit.
Scilicet immenſis mactata Bonisq; Malisq;
PRUSSIA: nil modicæ Patria ſortis habet.
Quæ Tua Suada, TITI, dum pluribus explicat Urbi,
Urbi, quæ Pruſſi gloria prima Soli.
Non eſt Orcheſtræ tantùm conſenſio læta:
Quælibet adplaudunt publica, priva, Tibi.
Egregium Vatem, præclarum Rhetora laudant:
Laudibus & reſonant omnia, JOVA, Tuis.

JOAN. ERNEST. Schmieden.

DEO OPT. MAX. INDULGENTE,

PRUSSIA,

POST EXOPTATISSIMAM, FELICISSIMAMQVE,
INTOLERABILI CRUCIFERORUM JUGO FORTITER EXCUSSO;
CUM INCLYTO REIPUBL. POLONÆ CORPORE CONJUNCTIONEM,
AD GUBERNACULA REGNI TUM SEDENTE SANCTISS. RECORDATIONIS

CASIMIRO,

FACTAM,

SECULUM

SCEPTRA NUNC AUGUSTISSIMA TENENTE

JOHANNE CASIMIRO,

REGE INVICTISSIMO,

TERTIUM

(QVOD FELICISSIME VORTERE DIVINA JUBEAT BENIGNITAS!)
AUSPICANTE,

NE DIEI,

QVEM NEC VIDIT ANTE EX NOBIS QVISQVAM,
NEC VISURUM SE SPERARE AUDET IN POSTERUM,
VELUT SEPULTA SILENTIO TRANSEAT MEMORIA,

ORATIONEM SECULAREM,

QVA TERRARUM PRUSSIÆ
SUB CRUCIFERIS, POST EXIMIA MERITA, FOEDISSIME DEGENERANTIBUS,
CALAMITATEM,
EARUNDEMQVE,
PROFLIGATA TYRANNIDE,
SUB AUGUSTIS POTENTISSIMISQVE POLON. REGIBUS
FELICITATEM
PROPONET,
IN AUDITORIO ATHENÆI GODANIENSIS MAXIMO,
DIE, QVA DUCENTIS ABHINC ANNIS

D. CASIMIRUS

TERRAS PRUSSIÆ,
IN SINUM MAJESTATIS SUÆ, ET REGNI, AD QVEM SPONTE ILLÆ REDIBANT, SUSCEPTAS,
PRIVILEGIO LUCULENTISSIMO ORNAVIT,

MARTII SEXTA

(FERIA TUM QVARTA CINERUM FUIT)
HORA IX. MATUT.
HABITURUS,
AD EAM BENEVOLE, LUBENTERQVE AUDIENDAM,
MAGNIFICOS, NOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS, SPECTATISSIMOS,

DNNN. PRÆCOSS. COSS. SCABINOS,

REV. PL. CONSULTISS. EXPERIENTISS. EXCELLENTISS. CLL.
VERBI DIVINI, FACULTATUMQVE AC ARTIUM OMNIUM

DD. ET PP.

VIROS DENIQVE ET JUVENES
GENERE, VIRTUTE, ERUDITIONE
FLORENTES QVOSVIS ATQVE CONSPICUOS,
NEC NON ADOLESCENTES HONESTISSIMIS STUDIIS ADDICTOS,
CULTU AC OBSERVANTIA, QVA PAR EST,
OFFICIOSE ITEM AC PERAMANTER
INVITAT, CONVOCATQVE
JOH. PETR. TITIUS, ELOQV. PROF.

P. P. DANTISCI, A. C. cIↄ. Iↄc LIV.
DOMINICA,
IPSO, QVID NOSTRARUM PARTIUM SIT, NOMINE NOS COMMONENTE,
REMINISCERE.

H

592/1

ORATIO SECULA-RIS.

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI, PRUDENTISSIMI, PLURIMUM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI, VIRTUTE, ERUDITIONE, GENERE EXIMII AC FLORENTISSIMI, HOSPITES ATQVE AUDITORES CULTU AC OBSERVANTIA, QVA PAR EST, HONORANDI, OFFICIISQVE AC STUDIIS OMNIBUS ÆTATEM PROSEQVENDI,

TVQVE JUVENTUTIS MENTE AC GENTE EGREGIÆ, NOBILISSIMIS ARTIBUS ET LITERIS ADDICTÆ, CORONA LECTISSIMA.

DEO IGITUR OPTIMO MAXIMO indulgente, PRUSSIA, post exoptatissimam felicissimamque, intolerabili Cruciferorum jugo fortiter excusso, cum inclyto Reipubl. Polonæ Corpore Conjunctionem, SECULUM hodiè (quod felicissimè vortere divina jubeat benignitas!) TERTIUM auspicatur. Et quam, sedens tum ad Regni gubernacula, CASIMIRUS, sanctissimæ recordationis Princeps, in sinum Majestatis Suæ & Regni, ad quem sponte illa se conferebat, susceptam, *Sextâ hac Martii* die, Privilegio luculentissimo ornavit: illa, sceptrum nunc augustissimum tenente JOHANNE CASIMIRO, Rege Invictissimo, de tantâ felicitate, publico sibi hodiè gratulatur SECULARIS LÆTITIÆ argumento.

Fuerat Annus, qui præcesserat, orbi & nomini Christiano luctuosissimus, CONSTANTINOPOLI, illâ Orientalis imperii splendidissimâ sede, DEO vitiis irato flagitia no-

ſtra ſic ulciſcente, à Mahomete II, Aſiæ Tyranno, Chriſtiani ſanguinis ſitientisſimo, obſeſsâ, victâ, expugnatâ, modisq; triſtisſimis direptâ ac fœdatâ. Iſte verò, cujus nunc Secularem celebramus memoriam, PRUSSIÆ noſtræ felicisſimus illuxerat: quo illa, DEO afflictisſimæ gentis miſerto, crudeli ac barbarâ impotentium Dominorum tyrannide convulsâ, gremio mitisſimi Principis foveri, atq; incomparabili JAGELLONICI Sanguinis benignitate & clementiâ recreari cœpit.

Exultabant Cruciferi, cùm cauſſam impiam, amicorum præpotentium, quos vel gratiâ ſibi, vel pretio, ac promisſis immanibus conciliaverant, ſtudiis & operâ ſuffultam in Germaniâ atq; adjutam cernerent; nihil jam nobis ſpei, nihil ſolatii uſpiam affulgere poſſe exiſtimantes. Exultabant, noſtræq; calamitati inſultabant. Et quaſi piaculare facinus admiſisſemus, de atrocisſimis illorum ſceleribus, & crudelitate plusquam belluinâ conqueri auſi, non mulctam tantùm nobis *ſexcentorum millium* (æquisſimi homines!) decreverant; ſed *trecenta* inſuper (ô Scelus! ô immanitas!) *trecenta*, inquam, Virorum generoſisſimorum,

rum, optimorumq; Civium *Capita*, cæterorum ſcilícet contumaciam expiatura, gladiis ſubjicere Carnificum, & tot ſuppliciis animos atque oculos ſævisſimos paſcere conſtituerant. Sed invenerunt querelæ juſtisſimæ in inclyto POLONIÆ regno locum: cujus virtute ac patrocinio erecti Majores noſtri ac confirmati, & opes ſuas & ſanguinem, ad redimendam Patriæ ſalutem ac libertatem, Tyrannosq; evertendos, multò lubentiùs, multoq; feliciori exitu impenderunt. Demoliri illi mœnia Urbium; compedibus nos, velut mancipia vilisſima, conſtringere; quoscunq; furori ſuo & ſævitiæ obſtaculo eſſe poſſe animadverterent, trucidare atq; exſcindere parabant. Sed ecce, deſtructis Arcibus illorum vel occupatis, quæ nefariæ tyrannidis propugnacula invicta habebantur, Urbibus noſtris integris, libertate inconcuſsâ, immenſo DEI beneficio, atq; immortali Serenisſimorum POLONIÆ REGUM favore, ſalvi atq; incolumes, poſt felicem ducentorum annorum decurſum, id quod inimicis noſtris nunquam in opinionem veniſſet, de fugâ illorum & exilio, ſeculari nunc gaudio triumphamus. O felici-

tatem incredibilem! O annum, o diem, jure meritoq; solennitate maximâ celebrandum!

Infinita equidem non annis tantùm, sed diebus singulis atq; momentis ab indulgentissimo Numine beneficia in nos conferri, nemo tàm est à pietate & sensu alienus, quin agnoscat. Et jam præsens iste annus, cujus nondum quadrantem absolvimus, invitare nos ad gratiarum actionem poterat: qui tristissimo contagiosæ luis, quâ conflictabamur hactenus miserrimè, periculo ac metu, multis jam acerbiora augurantibus, ita nos liberavit, ut exstincto penitùs malo, nuper admodum, hebdomadâ integrâ, in urbe tàm populosâ, vix ultra triginta, in censum Libitinæ venerint; secundoq; omine, plures nati, quàm denati numerarentur. Quo de bono tantò nobis justiùs gratulari habemus, quòd Amplissimos laudatissimæ hujus Urbis PATRES AC MAGISTRATUS Omnes (quos plerosq;, honorificâ suâ præsentiâ secularem hanc solennitatem condecorantes, læti & grati hic veneramur) superstites sospitesq; intueri possumus: tàm eximio in venerabilem illum sanctissimumq; Ordinem amoris ac sollicitudinis divinæ testimonio, ut, quamvis fores nonnullo-

pul-

rum pulſârit, quamvis (id quod ſummo nobis dolori ac mœrori erat) domos etiam funeſtârit feralis illa Ate: ipſa tamen ſacroſancta illa Capita, nulla peſtilentis ſideris vis afflaverit. Verumenimverò quamvis hujus quoque tàm illuſtris beneficii nunquam commisſuri ſimus ut animis noſtris excidat memoria: nemo tamen non intelligit, illum cumprimis diem, qui non nobis tantùm Singulis, non Civitati tantùm noſtræ, ſed PRUSSIÆ juxta univerſæ tantorum bonorum initium attulit; quo Patria noſtra dulcisſima, ex horribili calamitatis, fœdisſimæq; ſervitutis abysſo, ad eam, quâ gaudemus hactenus, fortunam emerſit, quantâ posſumus, feſtivitate nobis celebrandum eſſe. Quem diem ſicuti nec vidit antè ex nobis quisquam, nec viſurum ſe ſperare audet in poſterum: ita feliciter nunc illuxiſſe, toto nobis pectore etiam atq; etiam gratulamur.

Ad me quidem quod attinet, ego ſanè, illud mihi tàm proſperè obveniſſe, ut hoc tempore, in tàm illuſtri conſesſu, tàm frequenti Virorum honoratisſimorum doctisſimorumque, Civium item ac Juvenum nobilisſimorum, & florentisſimorum concurſu, ex ſuggeſto Athenæi noſtri primario,

verba facere, & diem hunc fecularis lætitiæ reducem fauſtis publicè proſequi ominibus poſſim, vehementer gaudeo. Quanquam illud etiam non diffiteor, optasſe me ſeriò, ut dies tàm feſtus, tàmq; ſanctè & religioſè habendus, in alium incidisſet Oratorem, qui facundiâ majore præditus, variarumq; rerum peritiâ inſtructior, & dicere rectiùs, & audiri jucundiùs, in ſplendidisſimâ lectisſimâq; Auditorii tàm conſpicui Coronâ potuiſſet. Verùm cùm repeterem animo, non hîc eloquentiæ laudem aucupandam; ſed animi memoris, debitæq; pietatis officium præſtandum eſſe: meum non eſſe credidi, vel ſilentii otiiq; amore captum, vel rei difficultate deterritum, tàm piam provinciam detrectare: inprimis cùm de æquitate Veſtrâ & humanitate, dudum mihi perſpectisſimâ, DOMINI, PATRONI AC FAUTORES HONORANDI, illud mihi polliceri auderem, veniam me à Vobis facilè impetraturum, ſi his, quæ impoſitæ mihi ſunt, partibus pro virili meâ perfuncturus, gaudii ſecularis interpres qualiscunque prodirem.

De argumento verò cogitanti mihi, illud inprimis agendum nunc videbatur, ut per Hiſtoriam ſupe-

ſuperiorum temporum, pedem circumferens, ea potisſimum repeterem brevisſimè, atque in medium afferrem, ex quibus in propatulo eſſe posſit omnibus, quàm juſtis & gravibus de causſis *Anni hujus & Diei* memoriam tàm ſanctam PRUSSIÆ, tamq; venerabilem eſſe debere, adeóque *Seculari* plauſu ac pompâ obeundam exiſtimemus. Quamobrem & inſtituti hujus, & temporis memor, TERRARUM PRUSSIÆ, SUB CRUCIFERIS, POST EXIMIA MERITA, FOEDISSIME DEGENERANTIBUS, CALAMITATEM; EARUNDEMQVE, PROFLIGATA TYRANNIDE, SUB AUGUSTIS POTENTISSIMISQVE POLONIÆ REGIBUS FELICITATEM, proponere, & oculis veſtris, velut in tabellâ expreſſam, ſubjicere conſtitui. Quo in argumento ita occupabor, ut brevitatis, quoad ejus fieri poterit in campo tàm vaſto, ſtudioſus, non niſi ea adferam, quæ ad rem maximè pertinere videbuntur, & quamvis, ſi exſpatiari interdum vellem liberiùs, veniam mihi facilè datum iri confiderem, domeſticis tamen, hoc eſt, Prusſicis ferè contentus, externa noſtris admiſcère, alienum nunc ducam.

Antequam autem de reipsâ dicere ordior, ad Vos, DOMINI, PATRONI, FAUTORES, COLLEGÆ, AMICI, AUDITORES ORDINUM OMNIUM ATQVE ÆTATUM HONORATISSIMI, EXOPTATISSIMIQVE, ad Vos, inquam, non more magis, dicentibus ferè usurpato, adductus, quàm caussâ ipsâ id exigente impulsus me converto, atq; ut verba facientem benevolè primùm audiatis; deinde si de rebus, ad Historiam Gentis, & ad Civitatem, Remque publicam pertinentibus, homo in his minimè versatus, interdum non satis commodè edisseruero, humanissimè ignoscatis, quâ par est, observantiâ peto à Vobis, atq; contendo. Agite, favete animis, favete auribus, favete linguis: atque hujus me voluptatis participem reddite, ut, ubi benignè me, sicuti summa Vestra humanitas, quam argumentis plurimis cognitam, nunc in vultibus etiam Vestris perspicere mihi videor, confidere me jubet, auditum intellexero, in publicâ lætitiâ lætari & ipse, deq; tam insigni adversum me benevolentiâ gratulari mihi possim.

Fieri illud sæpissimè nescio quo sortis ac mentis humanæ vitio solet, ut, quæ saluti initio, maximoque emolumento fuerant, paulò pòst non tantùm velut effœta vim omnem ac robur amittant, sed perniciosa etiam esse incipiant, præsentem atque indubitatum, nisi melior DEUS subveniat, interitum, ruinamq; ac stragem tristissimam arcessitura. Experta olim fuit ejusmodi fatum destinata illa imperii sedes, caputq; terrarum ROMA: quam eadem illa potestas, quæ & ortum illi felicissimum, & incrementa pulcherrima dederat, penè subvertisset. Incredibili virtute auspicatissimum *Romulus* conditor invaserat regnum: magnâ prudentiâ ferocem populum *Numa* metu constrinxerat religionis: disciplinam belli, artemq; omnem militarem felicissimè constituerat *Hostilius*: multum urbi profuerat ædificator ille *Ancus*: ornamenta *Prisci* & insignia venerabilem imperio conciliaverant majestatem: diligentia *Tullii* in censu, classibusque ac curiis ordinandis, jure meritoque laudibus evehebatur. Sed incassum sudaverat horum omnium labor, pessimè collocatæ erant vigiliæ omnes & curæ, si id tantùm actum erat, ut superbiæ *Tarquiniorum* & importunitati perpetuò

obnoxii viverent Romani. Quorum libidine infandâ, indignisſimisque contumeliis irritata civitas, tandem ſic exarſit, ut ejectâ exitiabili domo, jugoque fœdisſimæ ſervitutis excuſſo, Nomen etiam imperii æterno damnaret exilio, duobus illi ſeculis, & annis prope quinquaginta tàm ſalutare.

Neq; aliâ *Decemviri* eâdem in Urbe ſecutis temporibus fortunâ uſi ſunt. Leges illi, hoc eſt, animam & vitam Reip. dederant, beneficioq; ſibi illam immortali obſtrictam tenere videbantur. Sed ecce, cùm iidem, qui autores fuerant legum, fierent ſubverſores, nec quæ in publicum ſtatuerant, ipſi ſervarent: ea generoſo populo impoſita eſt necesſitas, ut, cùm aliâ nullâ ratione ſalvos ſe eſſe poſſe intelligerent, libertatem ſuam, & jura, quæ acceperant, aſſerturi, ſepoſitâ omni tâm recentis beneficii memoriâ, impiam dominationem armis profligarent, & in legum conditores ſecundum illarum normam & præſcripta animadverterent.

VIRI MAGNI, AUDITORES COLENDI PLURIMUM, AC OBSERVANDI, Non abſimili ſanè modo ac fato illud evenit, ut Majores etiam noſtri, tùm *Cruciferorum* Ordini ac Nomini multis olim magnisq; meritis eſſent devin-

vinctisſimi, tum incredibili tandem illórum adacti protervià, immanitatem eorundem ac tyrannidem crudelisſimam ad poſtremum repellere, & ſalutem ſuam his, quas divinæ pariter omnes ac humanæ leges laudant & approbant, rationibus aſſertum ire cogerentur. Quòd ſi quis ea ſic dici à nobis mirabitur, ut, quorum intolerabili jugo cervices noſtras liberatas gaudemus hodiè & triumphamus, quique has terras nihil aliud niſi hoſtili ſemper animo oppugnarunt, eorum adverſum progenitores noſtros merita agnoſcere & commendare non dubitemus: is vel ex eo noſtram æſtimet æquitatem, qui ne poſt ſcelera quidem & rabiem illorum, qui ſucceſſerunt, immemores eſſe velimus beneficiorum, quæ à cæteris in nos profecta ſunt. Abſit enim à nobis, abſit tàm ingrati animi nota: qui, quantum *ſacris* illis, ut erant initio, & ferebantur, *Militibus* debeamus, non inviti profitemur. Quorum ſi, quoad longisſimè reſpicere noſtri nos patiuntur annales, res geſtas repetimus, ancipites incertiq; dubitamus, utris illi plus profuiſſe videri debeant, hisne, quibus per tam longa viarum ac regionum ſpatia auxilio adve-

herant; an illis, contra quos tàm periculosi belli aleam suscipere non detrectarunt. Illud citra dubium in confesso est, arma illos pia & sancta initio cepisse; nec strinxisse gladium, nisi pro gloriâ ejus, quam in insignibus suis ac chlamyde gerebant, *Crucis*.

Erat tum ea in his terris rerum facies, ut gentes finitimæ, *Christianam* pietatem professæ, à *Prussis veteribus*, profanæ (proh dolor!) superstitioni atq; impietati mordicùs addictis, maximis, iisq; infinitis incommodis afficerentur. Inprimis vicinæ *Masoviæ* graves, perpetuis eam incursionibus perpopulabantur, ferro, igni, quacunque tempestas illa se verterat, vastantes omnia ac proterentes. Illorum igitur insultibus assiduis *Cunradus Dux Masoviæ & Cujaviæ*, Lesci, Albi cognominati, Frater, illius, quem ter admovit fortuna Poloniæ clavo, ter repulit, fatigatus tandem atque exhaustus, cùm nec domi satis sibi esse virium intelligeret; nec in Fratribus, quos *Ensiferos* appellabant, quicquam præsidii invenisset, copiis, quas ex Livoniâ illi miserant auxiliares, occidione deletis: dispiciendum sibi, & alia adversus praeferocem hostem

auxilia quærenda arbitrabatur. Emerat ille pacem: ſed quam minùs tutam, certè non diuturnam fore intelligebat, quippe pretio emptam, idq; ab hoſte tam lubricæ fidei.

Celebre cumprimis illis temporibus in orbe Chriſtiano ferebatur nomen *Fratrum Teutonicæ Nobilitatis*, quos à ſalutari ſanctisſimæ *Crucis* ſigno, cujus illi audire Propugnatores cupiebant, *Cruciferos* appellare placuit. Qui, cùm Palæſtinam Chriſtianis Principibus extorſiſſent *Saraceni*, validiori hoſti & ipſi cedere coacti, *Venetias* ſedem ſuam & fortunas transportaverant. Eos, propoſitis conditionibus non adſpernandis, *Cunradus*, quem diximus, ſibi conciliavit, illorumq; operâ *Pruthenos*, ſucceſſu rerum hactenus ferocientes, brevi ſic compeſcuit, ut aliena corripere vix auſi, ſatis haberent, ſi ſua tuerentur. Verùm illi nondum hîc ſubſiſtendum rati, cùm egregiam Chriſtianis ſuis operam navaſſent, de Hoſtibus etiam ipſis, ut par erat, præclarè mereri voluerunt. Et meriti profectò ſunt præclarisſimè; ſervatis, contra quos pugnabant, qui aliter ſalvi eſſe non poterant, niſi vincerentur.

Mira res dictu! Profuit Majoribus Noſtris,

ſuccumbere: qui adverſus quos, tanquam latrones atq; aggreſſores nefarios odiis æternis decertandum ſibi eſſe credebant, per eos monſtris longè teterrimis, *Barbarie & Superſtitione,* ſunt liberati. Quo beneficio nullum ſanè illuſtrius, nullum divinius cogitari poteſt. Laudibus ſummis effertur, immo in Deorum immortalium numerum ab antiquis refertur, ille

Omnibus in terris, quæ ſunt à Gadibus usq;
Auroram & Gangem, —— ——

notus Hercules: qui tot noxiorum animalium, quibus homines, urbes, gentes infeſtabantur, domitor ac victor, metu illorum terras virtute incredibili liberavit. At noſtros illos Heroas quantum egiſſe exiſtimabimus, qui manu ſuâ tot *Monſtra*, tamq; immania eliſerunt? Non hic repetam altiùs, quæ vetuſtis conſignata annalibus, nemini non obvia eſſe poſſunt. Parum erat *vitam* agere *agreſtem* atq; incultam, aſperis moribus ritibusq;, ferarum inſtar, quæ ad paſtum & ventris ſaginam abjectæ, nihil præterea capiunt, ſapiuntque. Parum & hoc erat, *latrociniis* graſſari & cædibus, & contra ſtudia naturæ omnia atq; inſtituta obduruiſſe.

Ad *Religionem* venio: quæ tàm erat horribilis, ut Nomina execrandorum Numinum, quibus miſerrimi ſe mancipaverant, ſono ipſo tremenda ſint ac formidanda. Abominatur oratio atq; averſatur *Potrympos* illorum, *Percunos*, *Poccollos*, *Pergribios*, *Pelvittos*, *Perdoytos*, *Occopirnos*, quos illi aquis, tempeſtatibus, aëri, arboribus, agris, navibus, toti deniq; rerum univerſitati præficiebant. Quorum pacem tàm dirâ & cruentâ ſacrorum religione expoſcere conſveverant, ut non *Hirco* tantùm immolato, ſed *humanis* etiam *victimis*, crudelisſimâ ſuperſtitione mactatis, eos venerarentur. Quis ſine horrore cogitet ſceleratum illum *Lucum*, & *Quercum* prægrandem, tam diræ immanitatis ſacrificiis deſtinatam: cujus opacæ frondes & folia, infinito non beſtiarum tantùm, ſed hominum jugulatorum ſanguine conſperſa ac fœdata, impiam barbaræ gentis pietatem, certiùs quàm illæ in Dodonæo nemore, quas vocales olim ac fatidicas fuisſe profani tradunt autores, loquebantur. Quid dicam de abominando cultûs genere, quod Diis ſuis multò omnium esſe gratisſimum mortalium miſerrimi ſibi perſuaſerant, ut conſtructo rogo ſemetipſos *igni* infelicis-

ſimo cremandos offerrent? Quo pacto ſi quis lætus ac lubens ex cœtu viventium emigrasſet, eum citra dubium nullâ interjectâ morâ ad beatisſima Deorum immortalium concilia admitti, votorumq; omnium compotem, ſummis apud illos voluptatibus perfruiturum, ſtolidisſimè credebant. Unde ex *Regibus* etiam illorum fuisſe legimus, qui non minori, quàm *Decii* illi Romani, & animo, & amore in patriam, capita ſua devoventes, flammis corpus traderent abolendum, abituri ad Deos, illorumq; opem adverſus hoſtium, Chriſtianorum, vires atq; impetûs, præſentes ipſi, Civibus ſuis impetraturi. Ne commemorem alia, quæ in promtu forent, ſi excutere ſolliciciùs veterem omnem memoriam animus esſet. Quæ deteſtanda religio etſi ipsâ immanitate ſacrorum inviſa esſe cultoribus ſuis debuisſet: tamen, excubantibus etiam pro regno ſuo immundis Geniis, quorum ſæpe, ſi quid egisſent ſegniùs, ultricib⁹ velut flagellis vexabantur, cæci illi ac barbari tàm inſano pro eâ ardore propugnabant, ut, niſi armis tàm piis ac ſanctis victi atq; compulſi, nunquam illam dimisſuri, ſubinde certè ad eam relapſuri fuisſent: cùm nec ferrent, nec admitterent

rent ſaniorem Numinis cultum tradituros. Homines ſævi atq; efferati. qui *Adelbertum* jam olim, virum ſanctitatis famâ inclytum, cùm ex Panno-niâ, quam Chriſtianâ pietate imbuerat, eâdem mente in Pruſſiam ſe contuliſſet, melioribus illam ritibus initiaturus, ad altare ipſum, rebus divinis operantem, telis ſeptem confoſſum, furore immaniſſimo trucidaſſent. Ut vel ex his, quæ paucis attigimus hactenus, facilè cuivis appareat, quàm non ſine inſigni improbitatis atq; ingrati animi notâ diffiteri poſſimus, quantum Pruſſia noſtra felicibus Cruciferorum armis olim debuerit: quorum virtute non finitimi tantùm Chriſtiani defenſi; ſed Pruteni etiam ipſi barbaros mores & ſacrilegam religionem ejurare tandem, cultumq; ac ritûs meliores admittere compulſi ſunt.

Quæ res quibus curis ac ſudoribus, quantis periculis atq; ærumnis, quàm infinitis ſumtibus atq; impenſis, quàm multo deniq; Virorum illuſtrium ac nobiliſſimorum ſanguine conſtiterit, dici equidem vix poteſt. Loquuntur id Annales noſtri. qui, quàm multi ac numeroſi, quámq; fortes,rebusq; omnibus inſtructiſſimi exercitûs à

summis *Germaniæ, Poloniæq;* ac *Bohemiæ* terræ *Principibus* in Prussiam missi sint, immò quàm multi *Duces, Comites, Barones*, aliiq; & generis splendore, & fortitudine illustres viri, cum copiis lectissimis, *Cruciferorum Ordini*, adversus infideles ac barbaros militanti, auxilio venerint, satis disertè testantur. Neq; illi ad rem paratam atq; ad prædam veniebant; sed salutem suam mille objicere molestiis ac periculis cogebantur: cùm pugnandum esset adversus hostes, si militarium artium, bellandiq; scientiæ non æquè gnaros; callidos tamen atq; immanes, & cùm multitudine suâ, tùm amarissimo in Christianum omne nomen odio præferoces. Quorum parte contusâ, quasi res esset cum Lernæâ Hydrâ, plures statim, qui in priorum locum & pertinaciam succederent, enati, in fortissimos illos *Hercules*, non minùs, quàm ille Poëticus, *vinci dolentes*, creverunt.

Neq; tàm audacia hostium & vires, quàm perfidia & *crudelitas* plusquam barbara terrori erat: inprimis cùm in eos, qui vivi in illorum venerant potestatem, modis planè inauditis, atrocissimisq; suppliciis sæviretur. Cujus rei quin exemplum in medium afferam, temperare

mihi non possum. Neq; hic dico de *annuo more*, quo solenne illis erat & vetus, ut aliquem ex hostibus captum infelici arbori alligarent, pectusq; ejus, captandi *ex sanguine* profluente de futuro belli successu *ominis* caussâ, sagittâ peterent. Levius hoc videri poterat: atrocius est, quod dicam. Si quando hostilium copiarum *Duce*, vel aliis, quos præcipuæ apud suos fuisse dignationis intellexerant, potiti essent, solebant illum, vel ex his aliquem, sorte ductum, ex lege crudelissimæ superstitionis, Diis suis ut victimam acceptissimam mactare, non simplici peremptum morte, sed, ut impiæ religionis ritus augustior videretur, & infelici barbari furoris hostiæ supplicium gravius esset, eo, quo proditum comperimus, modo. Is qui tam tristi piaculo destinatus erat, loricâ & armis consuetis paratus ornatusq;, equo imponebatur, vivus & vinctus. Tum *quadrupedem* ad arbores, vel palos solo infixos, constringentes, congestis lignis simul *cum Equite* in honorem Numinum, quibus se addixerant, *comburebant.* Dirum sanè & supplicii & sacrificii genus! Quo cùm alii complures, tum *Hirtzhalsius* quidam, ex primariâ Magdebur-

gicâ nobilitate, vir manu ſtrenuus, è vivis ſublatus eſt, fruſtra pro eo laborante ipſo Barbarorum Duce. qui Hirtzhalſii beneficio aliquando dimisſus, officii memor, referre gratiam ſervatori ac liberatori quondam ſuo optabat, niſi ſors, quæ ter conſulta nullum aliud nomen citabat, voluntati refragata esſet. Quis miretur, ubi ad pugnam ventum erat, tantis viribus tantoq; ardore à Noſtris dimicatum esſe, ut hoſtes plerumq;, quamvis numero ſuperiores, terga vertere, vel in acie cadere, aut arbitrio ſe permittere victoris cogerentur? Equidem vel hanc tàm immanem barbarorum ferociam pro cote fuisſe crediderim Chriſtianæ nobilitati, quâ generoſa pectora acuerentur, ut, etiamſi cecidisſent, de genu pugnando fortiter mori maluerint, quàm in poteſtatem venire tàm truculentæ gentis. Quæ res ad victoriam procul dubio haut parum ſæpe momenti attulit.

Quanquam non armis tantùm pugnatum ſit in contumaces; ſed, quæ expeditisſima eſt ad expugnandos animos via, *Liberalitate* etiam & *benevolentiâ* provocati, ſi qui à manſuetudine non ominò viderentur alieni. Unde factum eſt,

ut nec

ut nec eos, qui ſe Ordini permiſerant, ſententiæ ſuæ pœniteret; nec qui arma contra geſſerant, aut à fide deſciverant, deſperarent. Teſtis ejus rei *Schomandus*, Sudaviæ Princeps, qui cruento antè prœlio profligatus, cùm paulò pòſt, non parvâ comitatus Nobilium manu, ultrò ad Teutonicæ militiæ Fratres ſe contuliſſet, ad jura & communionem Ordinis, quod virtuti hominis dandum videbatur, admiſſus, operam ſuis ex eo Commilitibus non pœnitendam navavit. Teſtis *Nandiotta*, cui ob crimen paternum ad ligones & raſtra damnato, cùm, quod deliquerat pater, majori ipſe fide penſaſſet, & avita hæreditas, & dignitas equeſtris reſtituta. Teſtes inprimis *Immunitates* ampliſſimæ, quibus hi, qui ejurato Idolorum cultu, pietatem Chriſtianam amplexi eſſent, donabantur, eodem, quo cæteri eſſent Chriſtiani, futuri loco.

Quò pertinet *Privilegium* illud, quod vocant, verè aureum, Civitati primùm *Culmenſi* (princeps illa tum erat, & mater Urbium, ſemperq; futura credebatur: unde Juri, quo hodieq; utimur, nomen datum; quod Urbis penè ſæpius nomine, quàm Juris appellari vulgo conſuevit) *Culmenſi*,

 inquam

inquam, primùm Civitati & *Thorunienſi* indultum; ſed quo cæteræ etiam *Pruſſiæ Urbes* in univerſum omnes deinceps gaudere juſſæ ſunt. Quo Privilegio cùm Magiſtratuum Urbicorum dignitati, libertatiq; Civium diligentisſimè conſulitur, tùm (id quod alibi ſanè locorum tàm eſt infrequens, ut híc omninò commemorandum videatur, idq; ipſis, quæ in veteri Privilegio habentur, verbis) *tota Terra prædicta ab omni penitùs Telonii exactione* (vectigal innuitur, rerum cauſsâ, quæ vel exportantur, vel aliunde advehuntur, pendi ſolitum) *abſolvitur.* Nobile ſanè Palladium, maximiq; á Majoribus noſtris jure meritisſimo æſtimatum! Ut ſilentio prætaream alia, quæ tum à cæteris, qui ſummâ cum laude Collegio Staurophororum præfuerunt, tum à *Feuchtwangio Sigfrido, Kniprodio, Cunrado Jungingio,* utilisſimè conſtituta ſunt. Nimirum uſu edocti didicerant, firmiora eſſe imperia, quorum cuſtos benevolentia eſſet & fides, quàm quæ metu ac terrore continerentur; potioremq; eſſe gratiæ vim, quàm armorum. Cujus ſalutaris præcepti vel oblivio illos tandem, vel neglectus cepit, magno ſuo cum malo. Verùm de his poſtea erit dicendi locus.

locus. Illâ igitur ratione id consecutum est, ut, quod initio sperare vix ausi essent, spatio non ita longo, *annis* quippe *quatuor supra quinquaginta*, *auspiciis Magistrorum absentium* (nam relictâ Asiâ Venetiis fixerant sedem) *ductu Provincialium*, quos *Provisores* etiam appellabant, *Prussia omnis perdomita*, Cruciferis dicto audiens esset, breviq; morum, linguæ, artiumq; variarum cultu sic efflorescerent, ut nulli terrarum inferior eâ in parte videretur.

Opibus certè tàm affluens fuit, ut fidem apud multos vix inventura sint, quæ afferuntur. Cui rei vel illud documento erit, quod de Agricolâ prædivite in pago, à Sylvâ, Nicolao sacrâ, cognominato, traditur, tam portenti somniive simile, ut commemorare vix audeam; cùm vereri me oporteat, ne quis anilibus magis veterum fabulis, quàm historiæ accensendum putet. Ajunt illum frugalitate suâ, sive sordibus veriùs (fuisse enim pecuniæ non tenax, sed, ut Plautus more suo festivè, pertinax perhibetur, qui, verbo non absurdo, *magnas divitias minusculis digitulis tangendas* diceret) tantum nummorum collegisse, ut vasa majora lignea, quas tinas vocant, duo-

 decim

decim domi ſuæ haberet: ex quibus vaſis undecim pecuniâ ad ſummum completis, duodecimi pars complenda ſupererat. De joco ruſtici hominis non adeò inurbano, quo uſus, Magiſtro, qui novis ex Germaniâ Hoſpitibus, cæterâ Provinciæ, quam deprehendisſent, ubertatem deprædicantibus, divitias hominis oſtentaturus advenerat, ſic placuit, ut quod tinæ duodecimæ deerat, ex fiſco ſuppleri à Quæſtore præſente juberet, nihil dicam. Res lippis etiam & tonſoribus, quod ajunt, apud nos nota eſt. Quemadmodum & illud, quod de *Ruſticis Lichtenávienſibus* in ore eſt omnium: quos felicitas nimia tàm inſolentes reddiderat, ut petulantiæ illorum vix par ulla reperiatur in aliarum gentium monumentis.

Ad *publicas opes* venio. Quæ vel ex eo, ne fuſiùs perſequar omnia, facilè æſtimari posſunt, ſi tot *Oppida* munitisſima, vel condita à Cruciferis, vel inſtaurata; tot *Arces* fortisſimas, quarum hodiè nec rudera ſine ſtupore intueri quisquam poteſt, conſideremus. Ex quibus complures tam brevi temporis momento ad

to ad eam magnificentiam constructæ sunt, ut ultra fidem videatur.

His tàm multis, tamq; ingentibus meritis, non indigni videbantur, qui perpetuum in has terras, tantis à se laboribus occupatas, tanto studio auctas atq; ornatas, imperium obtinerent.

Verumenimverò quid erat, DOMINI AC PATRONI COLENDI, AUDITORES OPTIMI, quid erat, obsecro, ut *Augustus* marmoream relinqueret Romam, quam lateritiam invenerat, si in hoc laboratum erat, ut monstrosus aliquis *Nero*, Trojanum excidium assimulaturus, urbem incenderet? Quid erat, ut legibus, pro fortunâ temporum non iniquissimis, saluti civium prospiceretur, si illud supererat, ut fœdissimus *Caligula* eò progredi auderet immanitatis, ut Populo Romano unam cervicem optaret? quam uno scilicet ictu carnifex scelestissimus demeteret. *Benevolentia, quæ esse desinit, nunquam vera fuit. Odimus beneficia & exsecramur, quæ sic collata sunt, ut majoribus damnis & contumeliis pararent locum.* Ut vitam, ut salu-

tem, ut libertatem, quoad ejus facere honestè possumus, tueamur; ut vim injustam, ut furorem non hominum minùs, quàm bestiarum sævientium repellamus; ut pro aris & focis, pro incolumitate sociorum & nostrâ, pro juribus Reipub. & commodis pugnemus; ut pudorem Uxorum & Liberûm vindicemus; ut servitutem tanquam malorum ultimum aversemur; ut mori deniq; velimus, quàm mancipia æternùm esse libidinis tyrannorum: natura clamat, ratio dictat, lex non permittit tantùm, sed præcipit etiam, ac jubet. Quis non videt, vermiculos etiam, quantumvis minutos, quantumvis infirmissimos, tamen, naturæ genio stimulante, resistere prementi, quoad possunt? Quamobrem nemo, ut opinor, tàm præceps erit atq; imprudens rerum censor, ut inconstantiæ nos arguere, aut damnare sceleris audeat, qui illo Ordine, cui tot meritis, tam immortalibus beneficiis videbamur devinctissimi, deserto, à fide defecerimus. *Non nos illos; sed illi nos, & fas omne deseruerunt.* Non à fide nos defecimus; sed illi ab omni, quod est inter homines, jure.

Quæ si ostendenda nunc essent copiosiùs,

pro-

nemo non ſatis ſuperq; intelligit, tam vaſtum ac latum ſeſe nobis aperire dicendi campum, ut initium ſermonis invenire facilius ſit, quàm finem proſpicere. Atq; utinam tam fœda vulnera detegere, nunquam opus esſet! Utinam æterno illa operire ſilentii velo liceret! Causſa citra omnem controverſiam patrocinio nunc non indiget. Probata illa eſt DEO: probata ut bonis omnibus, & cordatis; ſic inprimis SERENISSIMIS POLONIÆ REGIBUS. Qui nullâ re aliâ, niſi ſanctisſimo *Juſtitiæ* amore, quo laudatisſimi Principes ſemper flagrarunt incredibili, permoti atq; impulſi, & causſæ noſtræ, & Terrarum afflictisſimarum patrocinium ita ſusceperunt, ut fracto, quod nodo intolerando cervices noſtras conſtringebat, jugo, & tyrannide profligatâ, immortali auguſtisſimæ Domûs beneficio, *ſalus, libertas, jura* civibus non reddita modò ſint fortisſimè, ſed aucta etiam clementisſimè & conſervata. Quod beneficium quamvis ſit longè maximum, neq; ullius vel diſertisſimi oris facundiâ ſatis unquam deprædicari queat: multo tamen illud jucundius evadit atq; illuſtrius, ſi, *quàm indigna ſub Cruciferis ferenda fuerint,*

vel obiter & cursim in memoriam nobis revocemus, atq; ob oculos ponamus.

Illi verò post longos bellorum labores, parto jam otio, degenerantes protinus, omniaq; sacræ militiæ munia obliti, documento esse cœperant, *faciliùs adversa tolerari, quàm secunda.* Quiq; initio, cùm ex lege sui instituti, stipulâ pro toro, & culcitrâ quæ corpori resisteret, uterentur, pane contenti & aquâ, tam fortes fuerant, rebusq; præclarè gestis inclyti: hi momento, felicitati concoquendæ impares, sic mutati sunt, ut agnosci non possent. Illi *religionis* adversus barbaros antè vindices strenui, nunc omni ejus tuendæ curâ abjectâ, *regiones* tantùm & provincias sitiebant. *Crucem*, quam intuentes pro Christiani nominis gloriâ pugnandum sibi, fratribusq; pressis atq; afflictis subveniendum esse monebantur, nunc ideò sibi datam cogitabant, ut *Cruces* se omnium esse debere meminissent. Hinc perpetuus, & inexsaturabilis bellandi ardor, cùm vitam sibi acerbam putarent hominum inquietissimi, nisi esset, quem vexarent. Non hîc expeditiones loquor, adversus *Lithvanos* susceptas. Caussa speciosa erat: in paganos tum

ibatur. Tandem laxis repagulis eò prorupit armorum & animorum furor, ut *ſanguine etiam Chriſtiano*, ſacri ſcilicet bellatores, gladiorum ſuorum fœdare aciem non erubeſcerent. Et ne quid impietati deesſet, debellabant *amicos*, ſi hoſtem non haberent.

Cumprimis infeſti *Polonis*, quibus quantum deberent, ignorare non poterant, fines eorum crebris excurſionibus turbabant: ingratisſimi mortalium, arma ſumentes in illos, à quorum olim cognatis Principibus, extorres ipſi tum atq; egentes, non acciti ſolùm huc locorum fuerant, verùm etiam in compeſcendis barbaris plurimum adjuti. *Tam malè apud impios locantur benefacta!* Et quamvis coiret interdum pax, & fœdera percuterentur: quies tamen brevis ferè erat atq; infida, Cruciferis ad occaſiones omnes intentis, & arma, quoties commodum videbatur, contemtâ fide reſumentibus. Qui ne cladibus quidem, quas & multas, & magnas, DEO perfidiam vindicante, pasſi ſunt, emendari poterant: obfirmatis ad extrema animis, & ambitione ſic in transverſum actis, ut nihil ſe indignum putarent, dum deſtinata conſequi ſe posſe confiderent.

 Quòd

Quòd ſi hoſti viribus impares, reprimere impetum cogerentur; quam in illum non poterant, in ſubditos ſuos & cives bilem impotentisſimi Domini effundebant. Hos oneribus variis affligere, hos tributis atq; exactionibus iniquisſimis exhaurire, hos deglubere, atq;, ut Cyclops ille apud Poetam

Viſceribus miſerorum, & ſangvine paſcitur atro,

fortunis omnibus, adeóq; animâ ſpoliare, ſolatio illis ac voluptati erat. Nec conſulere aliter rebus ſuis poſſe videbantur, exhauſto asſiduis bellis ærario: quæ non ferro magis, quàm auro à callidisſimis ambitioſisſimisq; hominibus gerebantur. Quo artificio jam olim, cùm nondum adeò haberentur degeneres, uſi, *Urbem* etiam hanc noſtram *Gedanenſem*, non tàm armis victam, quàm fraude primùm ac ſcelere perfidi hominis proditam, mox pretio emtam occupaverant: ſi emiſſe dicendus eſt is, qui ab illo, cui nihil in rem juris erat, accepit.

Atq; hac occaſione illud obiter repetere non alienum videtur, ſicuti *Dantiſcum* Oppidum, eâ quâ diximus ratione, à Cruciferis occupatum fuisſe, negari non poteſt, qui bolum hunc, ut lupi ava-

pi avarissimi, nullo sibi deinde pacto, ante fatalem dominationis suæ diem, è faucibus eripi passi sunt: ita falli omninò eos, qui ab illis demum condi cœptum affirmant. nisi *Primariam* intelligunt *Civitatem*: quàm sua illis debere incunabula, inficiari non possumus. Cæterum de ultimâ oppidi Gedanensis origine longè alia afferri possent, nisi verendum esset, ne extra oleas vagari videremur. Quanquam illud interim indictum relinquere non possumus, longiùs omninò quàm vulgò putant, natalem ejus arcessendum esse: cùm vicum ad *Rodanum* confluentem (unde celebre apud Græcos *Eridani*, fluvii Attici, nomen cum *Vistulâ* etiam nostro, quem Rodano Graji, rerum nostrarum non satis gnari, sæpe confundebant, communicari cœpit) mercatu *Electri* seu *Succini* nobilem, bis mille retro annis fuisse, clarissimus Urbis hujus *Godanii*, ut ipse, vocabulo ex æterni DEI nomine derivato, Patriam suam appellandam putat, alumnus, *Philippus Cluverius* eruditissimè demonstrare conetur. Sed redeamus in viam: à quâ me digressum esse fateor, & veniam, pro eo, uti par est, precor.

Cùm igitur non ferreis tantùm, ſed aureis etiam, ſicuti ex his, quæ in medium allata ſunt intelligere in promtu eſt, atq; argenteis pugnare lanceis ſoliti fuerint cati iſti bellatores: quis dubitet, in *tributis* imperandis exigendisq; perſtrenuos etiam fuisſe? Inprimis cùm *luxus* tandem accederet in cultu, & plus quàm Perſici conviviorum apparatûs. Cujus rei artifex cumprimis egregius celebratur ille, militiæ ſimul & malitiæ Magiſter (nomini ob illuſtria ſplendidisſimæ Familiæ merita jure libenterq; parcimus) qui Proceribus ad *epulas* lautisſimas convocatis, mensâq; pretioſisſimâ (quingentis Marcarum, quas vocant, Prusſicarum millibus paratam tradunt) exceptis, vaſa omnia, phialas, crateras non niſi aureas argenteasq; appoſuit, eâ lege promulgatâ, ut ex ſingulis non niſi ſemel biberetur: quo facto is qui bibisſet, paterâ, quam ſpumantem exhauſerat, donabatur, eò plura ejusmodi præmia reportaturus, quò plures majoresq; culullos ſtrenuus potor evacuasſet. Hem virum oppidò munificum, & perliberalem, Vitelliosq; ac Heliogabalos ſatis ingenioſè æmulantem! Quos cenſûs, quas lacrymas,

mas, quantum ſanguinis infelicium Subditorum cum illo vino, à gurgitibus iſtis putamus abſorptum! Et multa tamen, præterea perditisſimè nequisſimeq; profuſa, ſciens ac lubens transeo.

Quid de *Præfectis*, quid de cæteris Fratribus dicam? Quorum inſolentia atq; avaritia tantò erat gravior, quò illi plures erant: ut totidem Dominis ac Tyrannionibus Prusſia esſet obnoxia, quot Cruciferi numerarentur. Hi & ingenitâ ferociâ elati, & otio, fortunæq; lenociniis corrupti, id ſolum negotii ſibi datum credebant, ut Cives ac Subditos innocentes, tanquam mancipia & utrarios vilisſimos, indignisſimis haberent modis. Hos conſcindere, hos omni injuriarum genere afficere; his contumelias, ingenuis morte ipsâ acerbiores, facere; hos bonis fortunisq; omnibus ſpoliare; horum dignitati honoribusq; illudere; horum vitæ inſidiari; hos indictâ cauſsâ, ad arbitrium libidinemq; ſuam, in vincula conjicere, cædere, trucidare; horum filias & uxores ludibrio habere; verbo, in hos nihil non audere: leges, jura, privilegia, ſi obtenderentur, contemnere, ridere, proculcare. Quis non toto animo contremiſcat, vel

uno, quod proferam, quamvis ſine horrore & pudore proferre non poſſim, facinore audito, ex quo Phalaridas iſtos ac Buſiridas omnes cognoſcere, haud difficile futurum eſt. Hæreditatem *Viduæ* cuidam pauperculæ ambiguam faciebat civis alius ditior, non cauſſæ æquitate, ſed opibus ſuis fiſus, quibus *Judicem*, farinæ ejus & ordinis hominem, nihil negaturum, ſibi perſuaſerat. Promittit Judex, litem ſe ſecundum eum daturum, ſed hoc pactus, ut uxoris, quæ non illepida illi erat, uſuram daret. Aſſentiente lenone fœdiſſimo, dum, ut diutiùs muliere frueretur, cauſſa trahitur, oculos impuriſſimos ſceleratus ille *Appius* in puellam conjicit, Viduæ filiam, non mente minùs, quàm formâ honeſtâ. Hac ut potiretur, alteram jam pertæſus, arceſſitâ matre, ſententiam pollicetur, qualem optaret, ſi ipſâ conciliante voti compos factus eſſet. Illâ verò tàm exſecrabile flagitium deteſtante, excandeſcens & furens, abigit mulierem, hæreditatem contra fas omne adverſario decernit. Talia ſi Judices conſtituti perpetrare non ſunt veriti: quâ, obſecrò, audaciâ cæteros graſſatos fuiſſe exiſtimamus?

Quòd

Quòd si quis fortè majori, quàm par erat, invidiâ hæc dici putat, cùm nefario illi sceleri dignum supplicium inflictum fuisse, historia testetur: fatemur hoc quidem; sed ita, ut virtuti Magistri, qui tum rerum potiebatur, id imputemus. At quis deinde indignissimam *Letzkovii, Hechtiiq*, Præconsulum Gedanensium, itemque *Grossii* Consulis cædem ultus est? Quos non de Rep. tantùm suâ, sed de Cruciferis etiam optimè promeritos, Præfectus Gedanensis (Commendatorem appellabant) in arcem ad epulas invitatos, Carnificis gladio objecit, atq; isto tàm impium ministerium detrectante, ipse vino & irâ in furorem actus, sociis adjuvantibus, vulneribus innumeris contrucidavit, vix cadavera tandem interfectorum consternatæ civitati reddens. Quâ immanitate scelus hominis nondum satiatus, ultra rogum odiis crudelissimis sæviens, Viduas etiam & Liberos, quos solatio omni & præsidio orbaverat, nullam aliam ob caussam, nisi quòd conqueri illos de injuriâ & atrocitate facinoris intellexerat, fortunis omnibus spoliatos, in exilium egit. O barbariem! O crudelitatem! Hæccine homines, hæc Germanos, hæc viros stemmate illu-

ſtres, hæc Chriſtianos denique, & Sacram militiam profesſos, cogitare potuiſſe, nedum perpetrare! O Prusſiam multò, quàm Sicilia olim fuit, ſub his Tyrannis infeliciorem!

Et quid præſidii ſperari poterat adverſus eos, qui pasſis dudum velis in omne ſcelus abrepti, ſic ferebantur, ut nec *Magiſtro*, ſi quà nimiam quidlibet audendi licentiam coërcere vellet, dicto audientes eſſent? Cujus nomen Superbis iſtis tàm vile erat, ut ſi quis ſententiâ iniquisſimorum Judicum afflictus, appellare illum auderet, protervè admodum illudentes, verbis contumelioſis increpitum rapi protinus à lictoribus ſuis in vincula, atque in fœdisſimum ſubterranei carceris ſpecum detrudi juberent. Auſpiciis ſanè ejus & autoritate non aliò utebantur nefarii homines, niſi ut Ducem haberent ſcelerum ac bellorum, ad quæ turbines inquietisſimi perpetuò illum inflammabant; ſummo ejus diſcrimine, niſi obſequeretur. Senſit id *Wernerus Urſelius*, à ſicario, quòd importunis ejus precibus annuere noluiſſet, crudelisſimè jugulatus. Senſit multò magis (ſi quis privatum percusſoris facinus Ordini acceptum ferre nolit) *Cunradus de Jungingen*, qui, quòd pacis aman-

amantior videretur, feroculis ſuis Commilitonibus adeò contemptuì fuit, ut ſubornato aliquando Morione, *Abbatiſſam** eum ſalutarent, quaſi Puellis rectiùs imperaturum, quàm Viris. Senſit denique *Ruſsdorfius*, furialibus Fratrum turbis, funeſtisque concertationibus ſic perterrefactus, ut ſaluti ſuæ metuens, tumultuantium manibus elapſus, clam correptâ fugâ, ſummâ feſtinatione, *Dantiſcum* ſe reciperet, Senatui confesſus, ſalvi nihil futurum, niſi Reſpub. conjunctis & animis, & opibus ruinam imminentem fulciat atq; avertat.

Quamobrem ne deſerta ultimo in diſcrimine Patria ſceleratis furioſorum manibus penitùs everteretur, frequentisſimis Comitiis, *Equites, Nobiles, Civitates Pruſſiæ*, in commune conſultant, & Fœdere (cujus jam, *Sternbergio* Supremo Ordinis Præſide, pulcherrima jacta fuerant fundamenta) ſummâ virtute & conſtantiâ inito, *ad Magiſtri, Ordinisque dignitatem debitâ fide cuſtodiendam, ad Judiciorum integritatem aſſerendam, ad Immunitates, Jura, Privilegia, Majorum ſuorum virtute & meritis parta, ad Libertatem, quam ab illis acceperant, conſervandam, ad Opem denique mutuam oppresſis atque afflictis ferendam,* omni ſe ſtu-

*German. Gnädige Frau Aebtiſſin.

dio incubituros, ſanctisſimâ ſeſe religione adſtringentes, invicem promittunt.

Quemadmodum qui ſcopuloſo mari, fluctibusq; ac ventis exaſperato, intempeſtâ nocte, vel nubibus undiq; adductis ſubitò eripientibus diem, nullâ vitæ ac ſalutis ſpe jactantur; exorto tandem inter has ferales anguſtias ſole, jucundisſimum ejus lumen intuentes, incredibili lætitiâ perfundi ſolent, & quamvis nondum omni ſe periculo liberatos intelligant, maximo tamen ſolatio eriguntur: ita Prusſia noſtra, poſito, immortali Numinis beneficio, hoc incolumitatis & libertatis ſuæ fundamento, reſpirare paulisper, & meliùs ſperare auſa, ingenti exultare lætitiâ, ac triumphare gaudio cœpit. Satis autem gnara, nondum ſe planè ex procellâ ſe emerſiſſe in vadum, remis, quod ajunt, ac viris allaborandum cenſuit, ne inimicorum inſidiis ac fraudibus *Navis* ſalutis ſuæ in Syrtes denuò & voragines præcipitaretur. Quare frendentibns Cruciferis, qui obicem iſtum ſuæ oppoſitum libidini ferre non poterant, cùm cœlum terramq; permiſcere inciperent, & Fœderatos *Rebellionis*, perfidiæ, hæreſeos etiam, ſi Diis placet, atq; infinitorum crimi-

 num

num accuſarent: illi quoq; rebus ſuis diligentisſime conſulendum rati, & cauſſam ſuam, & rationem Fœderis, Magiſtro ipſo conſentiente, neq; ex Ordine quoquam, præter efferatos pacis ac quietis publicæ hoſtes, contradicente, initi, *Principibus*, *Regibus*, ipſi deniq; *Imperatori* ſic probarunt, ut hujus autoritate atq; approbatione & *Fœdus ratum*, & Privilegia omnia ac Jura ſarta tecta atq; integra esſe juberentur.

Et qui damnare vir ullus bonus ac prudens causſam potuisſet tam piam, cùm non id actum intelligeretur, ut Magiſtri autoritas conculcata vileſceret; ſed ut ſanctior illa atq; auguſtior apud omnes esſet: non ut dignitati Ordinis illuderetur; ſed ne hominum malè feriatorum ſceleribus atq; audaciâ illa proſtitueretur: non ut poteſtas juſta ac legitima illis eriperetur; ſed ne violatis toties per ſummam perfidiam pactis ac fœderibus, arma impia capere, & Chriſtianis, maximè Polonis, à quibus ipſi olim ad coercendos barbaros vocati, à quibus adjuti, beneficiisq; innumeris affecti erant, bella temeraria, ſubditorum inprimis ac civium, quos invitos protrudebant in aciem, & hoſtium telis objiciebant, ſan-

guine luenda (ut in uno *Tannebergensi prœlio*, cæso virtute VLADISLAI JAGELLONIS ad internecionem Cruciferorum cum ipso Duce exercitu, Urbs una *Dantisci* ex his, quos auxilio mittere fœdifragis coacta fuerat, Cives nongentos desideravit) inferre auderent: non ut imperium omne excuteretur; sed ne tyrannidi illorum, atq; avaritiæ, libidiniq; licerent omnia: non ut illi, quasi compedibus vincti constrictiq; tenerentur; sed ne præter illos, cæteri omnes, infinitis impotentissimorum Dictatorum injuriis obnoxii, fœdiorem, quàm qui ad triremes & metalla damnati sunt, servirent servitutem: non deniq; ut saluti illorum quicquam periculi crearetur; sed ne infrunitorum hominum scelere Prussia omnis funditùs pessum iret.

Sed vicit nihilominus vafritia inimicorum atq; importunitas, remq; eò adduxit, ut ea omnia tandem secus crederentur. Neq; enim cessabant illi, *Fœdus*, quod ita oderant, ut omnia se amittere malle, quàm istud ferre, ipsi profiteri auderent, modis omnibus oppugnare, & *calumniis* onerare innocentes. Quibus rebus effectum est tandem, ut ad tribunal Imperatoris rediretur:

tur: ubi Principium operâ, quos in partes jam ſuas pellexerant Cruciferi, & aliis, quos pretio, promisſis, variisq; artibus expugnare certum erat, annitentibus, nihil non ſe conſecuturos ſperare audebant. Nec Fœderatis, quamvis judicio Cæſaris minimè ſe obnoxios crederent, displicebat forum, nullâ aliâ re, niſi æquitate causſæ, ut illud ſequerentur, adductis. Sed quàm ſincerè acta res ſit, teſtantur violati contra jus gentium omnium, vulnerati, capti in itinere *Legati*: teſtantur literæ interceptæ: teſtantur alia ſummi ſceleris ac proterviæ argumenta. Dictâ ſententiâ (quamvis, ne diceretur, denunciantibus Legatis) damnatur fœdus, ab eodem Arbitro, â quo laudatum antea fuerat & confirmatum. Tum verò exultare Cruciferi, tùm *mulctas* illi incredibiles, tùm Syllanas ac Triumvirales optimorum Civium *proſcriptiones ac cædes*, tum quicquid in mancipia, bello, ut jactabant perfidi, capta, excogitari ſævitiæ poteſt, ſpirare ac palàm minitari.

Sed prohibuit DEUS: DEUS, inquam, qui afflictisſimæ gentis, & contra fas omne furori truculentisſimorum hoſtium traditæ, miſertus,

tus, hanc illis mentem dedit, ut excutere jugum, jam non ultrà ferendum, auderent, & pro salute Patriæ, pro Libertate, pro Legibus suis ac Juribus, vel mori, quàm indignissima omnia sub tyrannide perpeti, gloriosius atq; honestius existimarent. Quid animi fuisse *Ludovico Erlichshusio* credimus, acceptis literis, quibus, propositâ breviter nefariæ fraudis serie, *ne quid in posterum sibi suoq; Ordini in Prussiam juris vindicaret, quæ, naturæ humanisq; omnibus ac divinis legibus id indulgentibus, fide nullâ, nullo obsequii vinculo tyrannis superbissimis insolentissimisq; ulterius se devinctam profiteretur.* O præclarum illum diem, neq; ullâ unquam oblivione obliterandum! Qui fortitudinis Majorum nostrorum æternum erit atq; incomparabile ad omnem, quæ futura est, posteritatem monumentum,

Nec scripserant illi animosiùs, quàm agebant. Itaq; ut satis seriò res geri videretur, *Arces* primùm omnium destructæ, vel occupatæ, propugnacula tyrannidis, in quibus rapacissimi vultures nidulabantur. Principes pulcherrimi facinoris *Thorunienses* fuerunt, qui, planè ut *Pelopidæ* olim socii Thebas liberarunt, adolescentibus virginali habitu exornatis, felici dolo potiti sunt

arcis.

arcis. *Gedanensis*, Senatui ultrò tradita eſt, Præfecto vim exſpectare non auſo. *Elbingensibus* plus negotii fuit: ſed nec illorum Virtuti pavidi jam hoſtes diu reſiſtere potuerunt. Adſpiravit & alibi fortuna: ita ut menſe vix integro præterlapſo, præter *Mariæburgum*, & pauca admodum oppida, quæ firmioribus præſidiis tenebantur, penè nihil Cruciferis, tot nuper Urbium atq; Arcium Dominis, relictum esſet. Nimirum aderat jam fatale illud tempus, non vanis jam pridem,

------- ſi mens non læva fuisſet,

vaticinationibus denunciatum, quo meritas tandem ambitionis, avaritiæ & tot ſcelerum pœnas perſolverent. Vindex ille Numinis oculus, quo velut connivente, quicquid allubuisſet, patrare auſi fuerant, & flagitia illorum immanisſima, & ardentisſima tot innocentium deſideria reſpexit. Reſpexit; & curæ ſibi cordiq; esſe res mortalium oſtendit.

Veſtram autem, *Cives fortisſimi*, Virtutem quis eſt, qui dignis laudum præconiis evehere posſit? Qui cùm ne ſpei quidem jam quicquam Vobis relictum videretur, cùm velut victimæ cultro

jam & aræ destinati essetis, ipsâ, credo, desperatione animati, tàm gloriosum, tamq; salutare consilium invenistis, suscepistis, perfecistis: qui præsidiis omnibus, nisi quæ vestra vobis Virtus daret, destituti, ducentorum, & quod excurrit, annorum dominationem, non domesticis tantùm viribus validissimam, sed tot potentissimorum Principum auxiliis fultam, convellere ac labefactare ausi estis: qui (id quod vel cumprimis admiratione dignum, cùm geminum ei exemplum in annalibus aliarum gentium vix, ut arbitror, reperire sit) rem tanti momenti, inter tot conscios deliberatam ac decretam, tàm fideli *silentio* custodivistis, ut callidissimi mortalium Cruciferi antè ejectos se, atq; oppidis castrisq; exsutos senserint, quàm periculi quicquam sibi exspectandum esse cogitarent. Vestram hanc virtutem, vestram fidem, vestram constantiam nulla unquam oblivio contaminabit: vestrum silentium, quod non, ut *Amyclas* olim, perdidit vos, sed servavit, secula omnia loquentur.

Libera jam erat *Prussia* & sui juris. Illa verò, nullam esse *libertatem*, quàm *sub bono Principe*, meliorem, probè gnara, eâ etiam de re statim cogitare

gitare cœperat. Neque in diversum hic secessẽrant sententiæ. *Unum* vota omnium petebant: ad *Unum* animi omnium & oculi respiciebant. Quò se verterent, ipsum Patriæ solum in medium consulere videbatur. Cujus situm ac indolem intuentes, *naturam* ipsam, ut *Prussia* hæc nostra cum vicino inclytæ Poloniæ regno, cui, si commerciorum ac negotiationum commoda prætereamus, finibus suis ac fluminibus, tanquam venis ac nervis, arctissimè connexa est, unum imperii corpus constitueret, unitusq; Principis sapientiâ, velut animâ regeretur, *naturam*, inquam, ipsam hoc velle & præcipere, facilè intelligebant.

Quamobrem cùm non amore licentiæ, jugum Prussia abjecisset, sed odio tyrannidis legitimum imperium quæsisset, missi nullâ morâ interjectâ ad felicissimæ recordationis Principem CASIMIRUM, qui tum rerum in Poloniâ potiebatur, quique jam antè, ut autoritate suâ paulò æquiores redderet Cruciferos, invocatus fuerat, Legati, *Terras, Arces, Oppida, sui jam juris facta, de communi tàm Ecclesiastici, quam Politici Ordinis consensu, Sacrorum Antistitum, Nobilium,*

Militum, Civitatium omnium nomine, fidei Regiæ offerunt; Se, Salutem ſuam, Jura, Privilegia, Majorum virtute, ſanguine, meritis parta, ei commendant; his ſalvis, fidem, obſequia, & quicquid cæteri præſtant Regni incolæ, pollicentur, opem & patrocinium adverſus acerbisſimos nuper Dominos, nunc hoſtes, implorant.

Non reſpuendæ videbantur optimo Principi preces tàm piæ, nec repudiandi cives egregii, tàm pronis animis obſequia ſua offerentes: *cùm verendum etiam esſet, ne repulſi ad aſylum aliud confugiendum ſibi putarent.* Quapropter *re cum Proceribus diligentisſimè deliberatâ,* quamvis Cruciferi, qui nuptiis regiis, nuper admodum celebratis, interfuerant, præſentes adhuc, modis omnibus obniterentur, admisſi ſunt ſupplices, patrocinium promisſum, jura omnia non firmata tantùm, verùm etiam aucta.

Atq; hæc eſt illa dies, quam immenſâ & ineffabili DEI Opt. Max. gratiâ hoc nobis beneficium clementisſimè indulgente, læti hodiè & ovantes celebramus. Hæc eſt dies illa, quam ſalvo inclyto *Poloniæ* regno, ſalvis *Provinciis* cum regno Poloniæ conjunctis, adeoq; *Prusſiâ* hac noſtrâ ſalvâ, id quod inimicorum nunquam ſperaſſet

rasſet acerbitas, poſt felicem *Duorum Seculorum* decurſum, reducem nunc videmus, nemini noſtrûm antè viſam, nemini noſtrûm iterum videndam. Hæc eſt illa dies, quâ Poloniæ Prusſia addita; Prusſiæ Libertas reddita, & Salus. Hæc eſt dies, quæ *uſum & participationem omnium honorum, jurium, libertatum & prærogativarum, quibus Prælati, Barones & Nobiles regni Poloniæ gaudent,* nobis indulſit: quæ ad Serenisſimorum etiam Poloniæ REGUM *electionem & coronationem* nos admiſit. Hæc *jura, libertates, literas, privilegia, munimenta noſtra, quæ à Principibus Spiritualibus & Secularibus, Regibus & Dominis priſtinis* profecta erant, conſervavit, ſtabilivit, auxit. Hæc *à vectigalibus & portoriis immunes* pronunciavit: hæc beneficiis aliis atq; ornamentis multò maximis beavit.

De quibus ſicuti & ore nobis hodiè & animo lætisſimo jure meritoq; plurimum gratulamur: ita illud omninò etiam cogitandum eſt, maximis tum illa omnia laboribus, periculis, impenſis, immò vulneribus & ſanguine conſtitisſe. Fremebant etenim *Cruciferi* ac frendebant, vel Acherontem, ſi Superos non posſent, concitaturi. Quare cùm fruſtra *repetundarum* ſe acturos intel-

ligerent cum Poloniâ, armis conſequi, quod jure nullo poterant, tentabant. Atq; ut ſolent plerumq; morientium beſtiarum vehementiores eſſe morſûs, magisq; peſtiferi: ita Tyranni pro recuperandâ, quam amiſerant, dominatione, viribus undiq; collectis, depugnantes, ſummis periculis, cladibusq; triſtisſimis omnia involverunt. Ad *Coniciam* ſanè oppidum tantâ rabie ab illis dimicatum eſt, ut non victoriâ tantum, ſed Rege penè ipſo, fœdam ſuorum fugam animoſiùs inhibente, potiti esſent. Quâ fortunâ ne vel hoſtes impune exultarent, vel quos caſus tam adverſus afflixerat, animum deſponderent, nullum non ſibi lapidem movendum Princeps fortisſimus exiſtimabat. Qui *cenſûs* per omnem Poloniam acti? Quas pecunias Prusſia noſtra conferebat? Quæ vires, qui viri impendebantur? Longum nimis esſet, enumerare velle omnia. Satis ſit illud ad laudem: nec fortunis ſuis, nec ſanguini, nec ſaluti ac vitæ quenquam pepercisſe. Piâ omnes & glorioſâ æmulatione ad opem communi incolumitati ferendam, toto pectore connitebantur.

Citra invidiam, uti planisſimè confido, futurum

rum eſt, ſi quanto ſtudio, quanto ardore *noſtra hæc Urbs* ad ſuam ſociorumq; ſalutem asſerendam incubuerit, cùm recenſere ſingula non posſim, delibare ſaltem paucis nonnulla tentavero. Quæ non de propriis tantùm ac domeſticis rebus ſollicita; non ſuis tantùm agris & mœnibus hoſtem arcendum credens; jam ad oppida, ad arces & caſtella hoſtium oppugnanda, jam ad opem ſociis infirmioribus ferendam ſummâ fortitudine ac conſtantiâ, vel *cives* ſuos, vel *militem*, ad loca etiam remotisſima mittebat. Quo illa animo pericula & damna omnia contempſit? Quantâ fiduciâ adverſa vicit ac ſuperavit? Quas copias eduxit? Quas naves armavit? Quoties cum hoſte terrâ, fluminibus, mari etiam, conflixit? Quàm illuſtres palmas adepta? quas victorias, numero & viribus plerumq; multò inferior, reportavit? In *tributis* autem & *pecuniis*, qui rectè nervi audiunt rerum gerendarum, etiam ultra quàm ſors expoſceret, conferendis, jam non ætatum atq; ordinum, ſed ſexûs etiam contentio erat: cùm *Matronæ ac Virgines*, ne viris, ſatis jam ſanguinis patriæ impendentibus, per omnia inferiores viderentur, non crines ſuos, ut *Carthaginenſium* olim fœminæ

in vincula tormentorum, ſed ornamenta omnia, aurum atq; argentum (inuſitato exemplo) certatim conferrent, nihil ſibi, dum redimere libertatem patriæ posſent, relinquentes. Quâ tàm memorabili Urbis noſtræ fide atq; induſtriâ præcipuè factum eſt, ut oppida & arces complures, quæ hoſtili milite tenebantur, inprimis *Mariæburgum*, ſuperbisſima tyrannidis ſedes, & propugnaculum fortisſimum, Cruciferis eriperentur, REGE ipſo tantam Optimorum Civium virtutem, quos macte hoc animo eſſe jubebat, etiam atq; etiam collaudante. Quid de *incendiariis* emisſis? Quid de *ſeditionibus* dicam, quibus pernicioſa ingenia civitatem ſubinde fatigabant? Quorum nefaria conſilia prudenti *Magiſtratûs* ſollicitudine ſic discusſa ſunt, ut deprehenſis punitisq; turbarum autoribus, cæteri in officio & fide continerentur. Sed nihil periculoſius erat illis hoſtium artibus, cùm ſcriptis frequenter literis, nihil non, ſi reciperentur, polliciti, lenociniis hujusmodi velut arietibus expugnare animos conarentur. Quos cùm obfirmatos intelligerent, promptis omnibus, vel mortem oppetere pro fide, quâ Regi ſe addixisſent: tandem Proceribus etiam Poloniæ,

irrito

irrito conatu tentatis, REGEM ipsum ad prodendos Cives & Subditos impudentissimi mortalium sollicitare non erubuerunt. Sed frustra, quem armis terrere non poterant, talibus machinis adoriebantur. Invictum erat pectus Regium, & adversus insultûs omnes constantiâ munitum.

Quamobrem cùm laquei omnes frustra necterentur; imparem se tantis belli tam diuturni, adversus gentem fortissimam generosissimamq; gerendi, oneribus cernens *Erlichbusius*, copiis Cruciferorum non uno prœlio profligatis, extrema experiri minùs consultum existimans, mitiora tandem *Pacis* consilia cupidè amplexus est. A quibus Rex etiam adeò non erat alienus, ut paulò antè hosti, mox clienti, *partem Prussiæ ulteriorem* relinqueret, honore insuper addito, ut *in Senatoribus regni* numeraretur. O felicem hac tàm insigni moderatione CASIMIRUM, qui cives servare magis regium, magisq; Christianum arbitratus est, quàm fines imperii proferre! Qui cæde omni, nisi quam lex necessitatis inevitabilis imperaret, se abstinere, triumphis omnibus anteponendum duxit! Qui inimicum beneficio devincire, quàm armis vincere, gloriosius existimavit!

Ita post procellas & fluctûs verè decumanos reddita Prussiæ quies erat, jucunda, illa & diuturna; sed nondum perpetua. Namq; hanc gloriam SIGISMUNDO PRIMO, felicissimæ memoriæ Principi, fata decreverant: verùm ita ut tempestas eum priùs exerceret, beneficium hoc tantò illustrius reddituram.

Ad supremum inter Cruciferos dignitatis fastigium evectus fuerat Albertus, Marchio Brandenburgensis, SIGISMUNDI ex Sorore Nepos. Qui præter spem omnium, nescio quibus usus consultoribus, frena mordere, Regi suo, eidemq; Avunculo bellum indicere, Prussiam omnem sibi vindicare. Cùm magnas secum ex Germaniâ Daniâq; copias trahens, venire nunciaretur, SIGISMUNDUS non segniter obviam illi eundum ratus, expeditionem publicam decrevit. Et ille seriò rem agens, *Dantisco* summis jam viribus imminebat, ductu *Comitis Eisenburgici.* Qui delicatas Gedanensium aures, Mercurii sui, non Martis studiis innutritorum, nec strepitum ferre posse tormenti bellici, apud vulgus militum insolenter jactans,

non

non tàm ad bellum, quàm ad epulas invitaverat ſuos: ſed ex quibus non paucos, longè aliter quàm ſperaverant, exceptos, ferculorum loco Cruces ex panno albo, quas veſtibus adſutas gerebant, devorare, haud illepida Convivatorum comitas adegit. Ita' Urbe, difficile dictu, utrum audaciùs obſeſsâ, an turpiùs relictâ; *Elbingâ* item infelici ſtrategemate tentatâ; tùm rebus alibi minùs proſperè geſtis, inducias primùm pactus, his deinde præterlapſis pacem **Albertus** fecit, non jam violandam inpoſterum, ſed æternum perennaturam, Conciliatoribus (neq; enim prætereundi ſunt, quorum diligentiæ & prudentiæ tàm inſigne bonum Pruſſia noſtra debet) **Georgio, Alberti Fratre**, &, qui Sororem ejus in matrimonio habebat, **Friderico II. Lignicenſium in SileſiaDuce, Principe Piaſteo.** Quorum operâ eò res tandem adducta eſt, ut in verba Regis jurans **Albertus**, Pruſſiæ partem, quam Cruciferi hactenus retinuerant, hæreditario jure acciperet, *Poſitis Ordinis inſignibus, habitu, nomine*, Pruſſis Poloniſq; tàm exoſo, **Ducis** ei titulo

 præfu-

præfuturus, & magis etiam profuturus, inprimis conſtitutâ ibi pòſt neq; ita multò illuſtri Muſarum ad Pregelam ſede.

Hac igitur ratione, id quod in mentem nemini venire potuisſet, ſopito tandem ferali bello, immortali DEI Opt. Max. beneficio, æternâ pace recreata Pruſſia, ſub alis *Albæ Aquilæ*, nemine jam turbante, jucundisſimè requieſcens, & velut reviviſcens, conſolari veteres ſuas calamitates cœpit.

Quòd ſi jam, quanta hactenus ejus, protegentibus illam SERENISSIMIS AC POTENTISSIMIS POLONIÆ REGIBUS, fuerit felicitas, diſtinctiùs iterum oſtendendum esſet, non quidem verendum arbitror, ne tædio, AUDITORES HONORATISSIMI, esſe tandem incipiam, homo parùm ſuavis, ac minimè diſertus: cùm rerum, quæ valdè nobis gratæ atq; ex animi ſententiâ accidunt, ipſa nobis jucundisſima esſe ſoleat recordatio: verùm illud tamen metuo, ne temeritatis me atq; imprudentiæ aliquis reum peragat, qui ea, quæ

pro eo ac par erat, extolli ne felicissimi quidem oratoris facundiâ possent, sermone tenui attaminare non erubescam: quæ sacrò venerari silentio, procul dubio satius sit, quàm vel pauca, vel non satis convenientia in medium afferre. Sed liceat, bonâ omnium pace, delibare aliquid, & quasi cursim attingere, ne minùs æstimare commoda nostra videamur. Liceat ire per superiorum memoriam temporum, & *tristissimam Cruciferorum dominationem cum legitimo* AUGUSTISSIMORUM POLONIÆ REGUM *imperio conferre*: unde quantum inter impotentem tyrannum, ac justum Principem intersit, intelligamus.

Illi verò DEUM, fas ac jura omnia contemtui ac ludibrio habere; Hi suam Majestatem Divinæ submittentes, legum se custodes semper ac vindices exhibere: illi Cives ac Subditos premere atq; affligere; Hi salutem illorum & opes tueri: illi tributis eos, dirissimisq; exactionibus exhaurire; Hi erigere benignitate suâ omnes ac recreare: illi bella impia concitantes, mucronibus ac sarissis hostium incolas innoxios objicere: Hi vel injuriam repellentes, vel barbarorum contundentes ferociam, pro securitate regni sui ac

provinciarum excubare: illi Præfectos immanissimos oppidis arcibusq; imponere, nihil non scelerum pro libidine suâ ausuros; Hi consiliis atq; operâ illustrium virorum usi, commodis prospicere publicis: illi avari, & harpyiis omnibus rapaciores, nec â bonis naufragorum fœdissimas manus cohibere; Hi tàm impias sordes detestati, neq; quicquam Principi munificentiâ magis decorum existimantes, non eripere civibus res suas, sed servare. Illi crudeles, grassari cædibus, suppliciisq; innocentium oculos pascere, egregium, immò regium putabant; Hi clementiâ & præmiis excitare animos non degeneres, quàm pœnis terrere, humanius semper atq; utilius crediderunt. Deniq; illi in omnes velut in mancipia sævire; Hi liberis atq; ingenuis imperare: illi velut malæ bestiæ metui ab omnibus, ac formidari; Hi benevolentiâ suorum, atq; amore stipati esse maluerunt. Illorum item scelera & furor labem Prusso nomini atq; ignominiam, ubicunq; Pelopidarum facinora audiebantur, adsperserant: Horum augustæ virtutes, & victoriæ innumeræ, participes nos gloriæ tantæ reddiderunt.

Namq;

Namq; ita ſe omnino res habet, AVDITORES. Sicut aureus ille Solis fulgor mundum exhilarat univerſum, eiq; ſuam impertit & communicat lucem; ſic Regiarum Virtutum ſplendore imperium omne illuſtratur. Quare inficias illud ire nulla invidia poterit, *Pruſſiæ* etiam noſtræ laudi cedere atq; immortali ornamento, quicquid inclyti Principes piè, ac ſapienter, fortiterq; geſſerunt. Quorum quoties leguntur atq; audiuntur facta præclariſſima: toties Pruſſia, imperii illorum pars non pœnitenda, iſto quoq; nomine felix prædicatur.

Veſtræ (ne cæterorum omnium, laudatiſſimorum Principum, ſemperq; laudandorum, omnia huc congeram elogia) Veſtræ, inquam, SIGISMUNDI, Reges feliciſſimi, virtutes ſummæ atq; incomparabiles, non Vobis tantùm, ſed Sceptro etiam Veſtro, adeóq; Pruſſiæ, famam ubivis gentium proſperrimam, & gloriam nnnquam intermorituram pepererunt. Quorum is, qui PRIMUS tàm auſpicatum Poloniæ nomen intulit, tantæ Exteris etiam admirationi fuit, ut Duumviris illius ævi Heroum Optimis Maximis, qui, niſi eadem illos ætas tuliſſet, digni judica-

 bantur,

bantur, qui ſinguli orbi imperarent univerſo, Carolo Quinto Imperatori, & Franciſco Primo Galliarum Regi, *Tertius* accenſeretur. Alter, AUGUSTUS, eâ felicitate regno præfuit, ut armis ei vix opus fuerit, cùm *prudentiâ* ſuâ, & venerabili, quâ pollebat, *autoritate*, vel prohiberet bella, vel facilè componeret. TERTIUS autem, ut innumeris aliis virtutibus, Majeſtate & faſtigio regio dignis, fulſit; ſic animi moderatione tantâ fuit, ut *amorem ac delicias Orbis Sarmatici* ſuo eum jure appellemus.

Jam cùm ad Illos, qui tanto nati *Parente*, non tàm naſcendi ſorte, quàm ſuis virtutibus, ut in auguſto Regni liberrimi throno, ſuffragiis bonorum omnium collocarentur, adepti ſunt, oculos convertimus: quis eſt, qui de tantis Principibus, Reipubl. ſatis gratulari poſſit? Quid enim Tuâ, VLADISLAE, memoriâ ſanctius nobis eſſe poteſt? Qui antequam imperares, regni majeſtatem jam aſſeruiſti: qui vix adoleſcens, *Moſcorum* perfidiam generoſè ultus; mox *Othomannicæ* etiam dominationis faſtum, paternis auſpiciis, ſic contudiſti, ut tàm illuſtribus argumentis, deſtinatum ſibi divinitùs Regem Polonia agnoſceret, & Parens

rens Serenissimus tàm felici Jagellonicæ fortitudinis hærede lætaretur. Et quasi parum esset ad gloriam, semel de barbaris triumphasse, *denuo* Virtutem Tuam irritare ausos, ita compescuisti, ut non aliam ob caussam arma cepisse viderentur, nisi ut nova Tibi gloriæ materia nasceretur, & victoriarum. Quid de tempestate dicam, quæ à *Septentrionibus* exorta, & Prussiæ nostræ incumbens, subito quasi turbine non exiguam ejus partem jam prostraverat? Quam Tu fortitudine Tuâ sic avertisti, ut discussis nubibus mitior statim aura, & serenitas exoptatissima reduceretur.

Tuos verò, REX SERENISSIME, ATQVE INVICTISSIME, JOHANNES CASIMIRE, cujus humeris cœlum nunc Polonicum universum innitens requiescit, Tuos pro Republ. labores atque agones, Tuas vigilias & pericula, quo pacto satis venerabimur? Qui ad Aviti, Fraterniq; solii eminentiam vix evectus, in procellam protinus *Scythici ac Cosacici* furoris incidisti, tantò periculosiorem, quantò tetrior solet esse servorum & rebellium rabies, quos conscientia sceleris sic agit præcipites, ut pertinaciâ pro virtute armati, velut

 œstro

œſtro perciti, in ferrum & aciem ruant. Quos Tu, non in finibus tantùm tumultuari, atq; (ut ſolet gens immaniſsima, fugâ potius, & dolis atq; inſidiis, quàm aperto Marte & honeſtis belli artibus certare) ferro agros igniquedepopulantes, latrocinari, prædas agere, barbarumque in modum ſævire auſos; ſed ipſa regni viſcera, ſi furori perduellium id licuiſſet, correpturos, tantâ virtute repuliſti: quorum è faucibus exercitum, à numeroſiſsimo & callidiſsimo hoſte circumventum, tam feliciter liberaſti: ut perculſi re tàm inexſpectatâ rebelles agnoſcere errorem, fateri culpam, deprecari ſcelus, redire ad obſèquia cogerentur. Atq; hæc quoties cum animo noſtro cogitamus, fateri nos oportet, illud ſæpiſsimè nos tenere ancipites, utrum *fortitudinem* Tuam, quâ furioſos refrænas ac compeſcis, an *clementiam*, quâ lubrico hoſti, toties ad vomitum redeunti, ignoſcis toties ac parcis, magis admirari debeamus. Illud ſanè intelliget terrarum Orbis, quo eſſe animo in Cives & Subditos velis, Majeſtatem Tuam obſequio, quo par eſt, demiſsiſsimè ſubjectiſsiméque venerantes, qui in hoſtes, in rebelles, toties refractarios, toties contumaciâ ſuâ bonitatem Tuam provocan-

vocantes, tantâ mansvetudine, tàm incredibili patientiâ & benignitate uti soles. Facis, REX SERENISSIME, PATER OPTIME, facis, quod HEROIBUS JAGELLONIIS, quorum progenies & sanguis es, quorum augustum solium tenes, solenne semper & proprium fuit.

Parcere subjectis, & debellare superbos,

quod tàm magnificè de *Romanis* suis jactat Poeta, semper Illi consueverunt. At verò ita superbos ac calcitrantes debellarunt, ut resipiscentibus spem veniæ nunquam abrumperent: ita pepercerunt subjectis, ut beneficiis etiam innumeris maximisq; augerent. O imperium, quod patrocinium veriùs, quàm imperium nominari potest! quò concurritur undique, velut ad refugium & portum.

Tàm augusti *Imperii* splendorem, tàm fortium ac piorum REGUM gloriam, quis ad *Prussiam* etiam hanc nostram pertinere inficietur? Tali patrocinio, tali refugio ac portu, quis felices ac beatos nos neget? Huic imperio, immò patroci-

nio; his Regibus, immò Patribus, qui Prussiam dedit, & sanctissimo Polonici Regni Corpori agglutinavit, *diem*, *diem*, inquam, tot bonorum tantæq; felicitatis auspicem, quis non gemmâ, aut si quid gemmâ nobis est pretiosius, signandum; quis non publicâ lætitiæ testificatione celebrandum censeat?

Neque hîc repetam curiosiùs, AUDITORES COLENDI, quæ singulatim beneficia à SERENISSIMIS POLONIÆ REGIBUS in nos profecta sint hactenus: quibus commodis, quibus emolumentis atq; ornamentis aucti simus. Proposui paulò antè brevem felicitatis nostræ tabulam: quamvis non sim nescius, multò plura, multóque etiam majora dici vel debuisse, vel potuisse. Sed quis hoc aut desideret, aut exspectet à *Scholastico Oratore*, cui arculas Historiarum gentis, & rerum, quæ ad Civilem statum pertinent, omnium, excutere, minùs interdum vacat; ad intimiora autem illa & penitiora curiósos emittere oculos, minimè licet. Relinquimus ista Proceribus & Viris summis, quos ad

 Rem-

Rempubl. gubernandam atque administrandam sua vocat prudentia, animis & cogitatione percurrenda, sapientiq; silentio æstimanda.

Nos hic illud nunc saltem, quod citra impietatem præteriri à nobis non potest, gratâ mente & linguâ commemorabimus; AUGUSTISSIMORUM POLONIÆ REGUM beneficio non *Jura* tantùm nostra, & *Privilegia* omnia salva atq; integra, immò aucta etiam & locupletata esse: sed animorum etiam, in Religione, & cultu divino obeundo, eam semper indultam esse clementissimè, hodieq; indulgeri libertatem, ut *Conscientiæ* nostræ laqueos nectere, sacra turbare, quietis negotium facessere, quæ ultronea esse DEUS ipse voluit, extorquere, nemo audeat. Quod beneficium cæteris omnib⁹, quantumvis maximis, infinitis modis anteferendum intelligimus.

Utinam, utinam, qui eandem nobiscum pietatem profitentur, ubiq; gentium omnes tàm inæstimabili solatio gauderent! Verùm hanc quoq; gloriam, encomiis omnibus excellentiorem, inclyti Poloniæ Reges propriam sibi fecerunt. Quorum ex ore manavit illa plenissima pietatis vox, Principum omnium palatiis atq; animis in-

ſcribenda: DEUM SIBI TRIA RESERVASSE, EX NIHILO ALIQVID FACERE, SCIRE FUTURA, ET DOMINARI VELLE CONSCIENTIIS.

Non hîc repetam pluribus ſummam VLADISLAI, Regis laudatisſimi, quæ excidere animis nondum potuit, neq; poterit unquam, manſuetudinem ac pietatem. Qui cùm devictis incomparabili felicitate tot hoſtibus, neq; *Uno Maxentio domito*, *Pace* imperio ſuo undiqueverſum partâ, ut *redivivum tranquilla venerari* Conſtantinum poſſet *Polonia*, de gravisſimis, triſtisſimisq; in arduo *Religionis* negotio disſidiis ac concertationibus componendis, ſanctas, ſuâq; Majeſtate dignas ſibi ſuſcipiendas eſſe cogitationes arbitraretur: re tanti momenti diligentisſimè prudentisſiméq; conſideratâ, illam unam ante annos non ita multos probavit viam, ut indicto *Thorunii* COLLOQVIO, quod AMICUM ET FRATERNUM eſſe Optimus Princeps, & mitisſimus Populorum ſuorum Pater volebat, de Fide orthodoxâ, de Religione verè Chriſtianâ & Catholicâ, mo-

câ, modestè ac placidè disserere *Dissidentes*, sententiisq; liberrimis de veritate Dogmatum, vel erroribus piè statuere juberet. Hauserat illud Rex sapientissimus ex illustribus cumprimis Serenissimorum Majorum exemplis, qui dura illa & inhumana Religionis alterius eradicandæ, alterius stabiliendæ ac propagandæ consilia semper aversati, *non cruentis edictis*, non ferro, non flammâ; sed *rationibus decernendum*, & in re, quam DEUS ipse tàm spontaneam esse voluit, ut nisi talis sit, nulla sit, suam concedendam CONSCIENTIIS LIBERTATEM crediderunt. Quis non totâ animi sententiâ consciscat atq; optet, ut imperium Orbis universi obtingat illis, qui imperium in *Conscientias*, uni DEO debitum, ei relinquunt, cujus unius imperio purpuram suam & diademata piè submittunt?

Atq; hæc modestia, hæc æquitas Principes Optimos ac sapientissimos movit, ut non *Poloniæ* tantùm universæ, annexisq; Poloniæ *Provinciis* omnibus, adeoq; *Prussiæ*, hanc in sacris ritibus *Religionisq;* exercitio concederent libertatem: sed seorsum nostræ etiam huic *Urbi Gedanensi* de publicâ, neq; â quoquam unquam turbandâ vel

impediendâ, illius *Symboli*, cujus Capita, ex divino ſacrarum Literarum petita Codice, Doctrinam Eccleſiarum noſtrarum, paucis brevisſimè comprehenſam verſibus, complectentia, CAROLO V. Imperatori Auguſto, *Auguſtæ Vindelicorum* abhinc annos centum viginti quatuor exhibita ſunt, profesſione, luculentisſimis Privilegiis proſpicerent.

Quâ benignitate, quâ gratiâ, & moderatione, dum Regno, dum Provinciis, dum Civitati noſtræ conſuluerunt, tantum abeſt, ut ſceptro ſuo quicquam crearint periculi, ut ad Salutem Illorum atq; incolumitatem tuendam tantò ferventioribus ſtudiis incumbamus, quantò diviniori beneficio frui nos Illorum clementiâ ſentimus. Disſidemus in religione: at non in asſerendâ atq; obſervandâ Regum Majeſtate. Diverſi ſunt ſacrorum ritûs: at eadem in Regem pietas. De fide in DEUM non idem ſentimus omnes: at fidem Regi eandem probare connitimur univerſi. Vota DEO offerimus, & preces pro Principis ſalute: pro quâ corpora etiam noſtra telis hoſtium objicere, & ſanguinem, ſi opus ſit, effundere, parati ſumus.

Non

Non est nostrum, merita nostra commemorare: cùm fateamur ultrò, quicquid à nobis factum est, citra officium substitisse debitæ pietatis. Sed vel superiora tempora (ne abeamus longiùs) cùm repentino armorũ Borealium impetu Prussia concuteretur, non dubium, spero, fidei, quam Polono Nomini debemus, ostenderunt exemplum. Celebre erit ad omnem posteritatis memoriam *Constantiæ* specimen, quod *Thorunienses* ediderunt. Nulla invidia, nulla temporum injuria, *Gedanensium* obliterabit *virtutem*, quos nec minis atq; armis terrere, nec blanditiis suis ac promissis impellere hostis potuit: quamvis ille, ut voti hujus particeps evaderet, omnia experiri statuisset. Hoc animo, hac virtute & constantiâ, exemplo inde à Majoribus nobis tradito, semper fuimus, semper erimus, omnia priùs, & vitam adeò ipsam, eripi nobis passuri, qvàm in REGES Serenissimos fidem, cultum, obsequia, amorem.

Dixi, PATRONI MAGNI, FAUTORES COLENDI, quæ mea mihi tenuitas in argumento tàm difficili concessit. Quæ si votis Vestris atq; exspectationi minùs responderunt, si tàm illustri loco, tam erudito ac frequenti Auditorio,

tam ſolenni deniq; tàm auguſti temporis feſtivitati non ſatis convenire viſa ſunt: ignoſcite, iterum demisſè Vos oro quæſoq;, & veniam date benignisſimam: nec quoties ingenium me & vires defecerint; ſed quo affectu dixerim, quámq; cupidè, id quod mearum esſe partium videbatur, exequi voluerim, pro humanitate Veſtrâ laudatisſimâ expendite. Quod ſupereſt, ne, ſi, velut in novam dicendi arenam deſcendens, repetito ſermone detinere Vos perrexero, aurium Veſtrarum indulgentiâ, ultra quàm fas eſt, abuti videar: unum illud, ut felicitatem, quæ Prusſiam noſtram ducentis his annis, ex quo mitisſimis Aquilæ Polonæ Alis defenſa eſt, recreavit, perpetuam esſe jubeat, propitium NUMEN precandum erit. *Xerxem* quidem, Perſarum Regem, illum, qui in Græciam movens, tàm immenſam vim hominum eduxit, ut ab exercitu ejus flumina ſiccata eſſe proditum ſit, cùm collectam ex omni Aſiâ juventutem oculis ſubjecisſet, illacrymasſe perhibent, conditionem humanæ ſortis, & quod *intra centum annos*, Omnibus iſtis, Omnibus, moriendum foret, animo reputantem.

Nos

Nos, AUDITORES HONORATISSIMI, ejusmodi lacrymis lætitiam noſtram Secularem non polluemus: cùm nefas etiam ſit, Naturam, quæ immortales nos naſci noluerit, invidiæ atq; injuriæ ſubincuſare. Illud igitur agemus, ut vota noſtra & deſideria intra gyrum coerceamus modeſtiæ, & Chriſtianæ pietatis. Faxit DEUS ille, cujus immortali beneficio (id quod gratisſimis ſemper animis & linguis deprædicabimus) Sereniſsimo Potentisſimoq; Rege JOHANNE CASIMIRO Sceptrum auguſtisſimum glorioſisſimè asſerente; Senatoribus ac Proceribus illuſtrisſimis atq; inclytis Majeſtatem Regis, Regniq; dignitatem fortisſimè vindicantibus; Republica, Provinciisq; omnibus, furore rebellium ac barbarorum, fortitudine, prudentiâ & moderatione Regiâ felicisſimè nuper coërcito, florentibus jam, & pace ac tranquillitate ſuâ gaudentibus, SECULUM hodiè PRUSSIA noſtra libertatis atq; incolumitatis recuperatæ, & ducentis jam annis conſervatæ, TERTIUM gaudens ac plaudens orditur (quo nomine Civitas

hæc noſtra Gedanenſis, ocellus Pruſſiæ, & huic univerſæ, & ſibi, voce nunc & feſtivitate SECULARI publicâ gratulatur) DEUS ille faxit clementisſimè, ut SECULUM, cujus auſpicalem Diem nobis illuxisſe lætamur hodiè ac triumphamus, POSTERITAS olim noſtra (ſi qua futura eſt) Sceptri Polonici majeſtate inconcuſsâ, Reipublicae dignitate, imperii finibus, viribus, opibus, integris atq; etiam amplificatis, Provinciarum omnium, atq; inter illas Pruſſiae noſtræ, in iſtâ laudatisſimæ hujus Urbis Libertate illibatâ atq; incontaminatâ, Juribus omnibus Privilegiisq; ſalvis, Religione orthodoxâ pollente ac vigente, Magiſtratuum autoritate, Civium incolumitate, ſartâ tectâ, Studiis etiam honeſtis, & Artibus liberalibus, illarumq; Seminariis, Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ Officinis, adeòq; Athenæi etiam hujus noſtri Viridariis, pulcherrimè lætisſiméq; florentibus, feliciter elapſum gaudeat, eandemq; ſuis etiam NEPOTIBUS felicitatem comprecetur.

ΤΩ. ΘΕΩ. ΔΟΞΑ.

CARMINA SECULARIA,

quæ in

PANEGYRI

DANTISCANA

inter Tympanorum, Tubarum,
aliorumq; Inſtrumentorum Muſicorum
certamina & harmonias
canebantur,
Autore
Joh. Petr. Titio.

Ante habitam

ORATIONEM.

PRUSSIA, junge manûs & pectora: pelle TYRANNOS:
Assere Te, dulcis Patria: pelle CRUCES.
Infandis afflicta modis, quam destinat aræ
ORDO, tuo gaudens sanguine: pelle CRUCES.
Torta diu, calcata diu, sat dira tulisti.
Junge manûs tandem, PRUSSIA: pelle CRUCES.
Destrue, queis *Hostis* confidit perfidus, *Arces*:
Excute triste *jugum*, PRUSSIA: pelle CRUCES.
Arma cape: *arma*, *arma*, *arma* manu cape: nescit, & arma,
Et caussam talem deseruisse DEUS.
Nec CASIMIRUS opem pressis adferre negabit
Civibus: hoc tanto Vindice, pelle CRUCES.
Sic JAGELLONIÎS requiesces tuta sub Alis,
Seraq; Posteritas SECULA fausta canet.

Post

Post habitam

ORATIONEM.

Edles Preussen / freue dich:
Laß nun Spiel und Seiten hören:
Hand und Othem rühre sich:
Alles rühme: GOTT zu Ehren /
Der uns dieses grosse Fest
Diesen Tag begehen leßt.

Zweymal Hundert Jahre Zeit
Ist nunmehr vorbeygegangen /
Seit daß freye Sicherheit
Ihren Grund hier angefangen:
Seit der Grosse KASIMIR
Preussen halff zu seiner Zier.

Nach der langen Unglücks-Nacht
Ist die güldne Sonne kommen /
Hat den Tag dir wiederbracht /
Alles Schrecken weggenommen:
Auf das Leid / so dich gedrückt /
Bistu reichlich gnug erquickt.

Friede / Heil / gewünschter Stand /
Uberfluß und milder Segen /
Hat bißher / O Preussen-Land /
Dich gekrönet allerwegen /
Seit des Weissen Adlers Krafft
Schutz und Freyheit dir geschafft.

Drumb / O Preussen / freue dich:
Laß dein Seiten-Spiel erklingen:
Hertz und Mund erhebe sich:
Wünsche nun vor allen Dingen /
Daß JOHANNES KASIMIR
Hersch' und siege für und für.

Du auch / Dantzig / werthe Stadt /
Wünsche / daß DER KONIG LEBE:
Und dabey / daß Deinen Rath
Glück und Wolfart stets umbgebe:
Daß auch Du in Einigkeit
Blühen mögest allezeit.